QVERIMONIA EVROPÆ,

DIVISA IN LIBROS DVOS,

Quorum jam exit primus.

Robert Gordone

LONDINI
Per GVILIELMVM STANSBY.
cIↄ Iↄc xxv.

47.

BRITISH MUSEUM

QVERIMONIA EVROPÆ.

Inuictiſsime Cæſar, potentiſsimi Reges, clariſſimiq́; Principes capita, lumina, decoraq́; orbis Chriſtiani.

IAmdudum miſerabiles filiorum meorum innumerabilium clamores in campo morientium audire potuiſtis. Audite jam, precor Europam ipſam & matrem, & ſenem, & oppreſſam. Pagana perdiù fui, Dei gratia jamdiù Chriſtiana ſum. Et hunc mihi honorem habitum à Deo, vt Eccleſia Chriſtiana Dei filia ac hæres, & Chriſti cohæres meum potiſsimum ſuo nobilitaret hoſpitio, honorum omnium duco eſſe maximum. Multas temporum mutationes, varias Mundi & Eccleſiæ viciſsitudines obſeruaui ſenex: & cum Europæi filij mei in dies oriantur atque occidant, Europa mater ſuperſtes ſemper maneo teſtis præterinorum temporum, Nuntia calamitatum. Sed, ne longè abeam, intra quadriennium proximè elapſum quot centena hominum ciuili bello in orbe meo conſumpta ſint millia faciliùs poſſum lugere, quàm dicere. pingueſcere profectò campi mei, amnéſque fluere ſanguine Chriſtiano, proh dolor,

In Bohemia, Sileſia, Morauia, Germania Palatinatu, Heſſia, Valtolina, Gallia, Belgio, cæteriſq́; Europæ partibus.

dolor, proh pudor, Chriſtianorum manibus fuſo videbantur.

Quæ ſit horum cauſa motuum, poſt videro: hoc tantùm in præſentia dico, nullam poſſe dari cauſam juſtam, cur homines profeſsione ſaltem Chriſtiani mutuo ſe eam crudeli marte conficiant, vt homines eſtis, ſi vlla vobis inſit humanitas, mitiores hominibus eſſe debetis. Feſtiuè laudat orator prætorem quendam, cujus in prouincia nullis eſt facta vis, nullis inſidiæ poſitæ, niſi pantheris. & certè jucunda præmia pauidorum leporum ac ceruorum, noxiarum verò vulpium & luporum venatores vtiles viciniæ prædas captare ducuntur. hominum verò venatores & comeſtores cùm crudelem ipſi voluptatem capiunt, tum intolerabilem alijs miſeriam inferunt. Iam percipio ſenſum fabulæ, qua Prometheus defectum è varijs animalium particulis animum principi limo, indidiſſe fingitur, & immundiciem à verre, vafriciem à vulpe, rabiem à lupo, iracundiam à leone ſumptam appoſuiſſe ſtomacho humano: alioqui certè nunquam homo tam belluinam naturam oſtenderet. Sed ſimul illud intelligo feroces principum animos ingenuis artibus emolliri, vitioſóſque humaniore diſciplina, generoſáque educatione corrigi ſolitos, vt alios exemplo ſuo dirigerent, ſuiſque præſidium & ſolatium ſubditis afferent.

Cicero in ep. ad Curionem.

Audieram, cùm jam puella regia educarer in aula patres mei, elegantem fabulam, qua propter Helenam lento Barbariæ colliſa bello fingitur Græcia. In qua ſapiens Poëta ſæuum Bellodæ ludum, ſtultóſque regum & populi taxauit æſtus, cæteráque principum deliria, ſubditorum infortunia notauit: præcipuè graues diſcordias leui de cauſa motas, quarum principia libidinem, auaritiam, ambitionem, vindictæ cupidinem, imperij ſitim grauiter exagitauit: adulterum paridem, calchantem ſacerdotem belli farem, vafrum Vlyſſem, furioſum Aiacem, ſæuum Achillem, iracundum Agamemnonem, Lapithas ebrios ſcitè deſcripſit, vt mores Græcorum in alijs cautè reprehenderet. In hoc theatro Græciæ ſenem jam Europam

actam fuiſſe planè ſentio atque perſpicio, quæ principibus Europæis propter Helenam Romanam inter ſe diſsidentibus externo Barbariæ conſumpta bello quotannis expecto meum interitum, niſi malis domi gliſcentibus quàm maturrimè occurratur.

Videram autem poſt in orbe meo, populo Romano tum rerum Domino, republica libera Romam factam ſæpè ſcenam plurimarum hujuſmodi Tragœdiarum. Ilias eſſet recenſere ciuiles diſcordias omnes alias ex alijs ſatas, ciuilium bellorum conſequentium ſemina ab hominibus dominandi cupidis occultè jacta, vt vrbs illa nobilis aliarum victrix ſuis tandem attrita victâque viribus, vel ab externo hoſte timeret exitium, vel à præpotente patricio ſeruitutem. quod timuit, tulit. Nam hiſce ſuis diſcordijs inteſtinis inuexit Hannibalem, euexit Cæſarem. Non deerant, alij qui libertatem ſuam honeſtè defenderent, vt Cato & Brutus; alius qui ſpecie defenſionis perfidè proderet, vt C. Pompeius, qui parem ferre non poterat, alius, qui palàm inuaderet, vt C. Cæſar, qui priorem non ferebat, ſibíque ſubigebat omnia, præter atrocem animum Catonis, qui ſuis manibus mori maluit, quàm ſeruire quòd mori maluit, laudo, quòd ſuis manibus, condemno. Sed ita nec viuere potuit Cato poſt libertatem, nec libertas poſt Catonem. Inde grauer ſequutæ virorum illuſtrium mutuæqúe cædes. Cæſarem occidit Brutus, Brutum Antonius; Antonium Octauius, Octauius factus jam populi Romani dominus dominatum ad ſucceſſores ſuos Cæſares tranſtulit: quem Aquila tamdiù tenuit, donec vel deſidia, vel diſsidio Cæſarum ferociſsimis gentibus Gothis & Vandalis Italiam inuadentibus, Hunniſque vaſtantibus Europam, occidentali imperio jam collapſo, *Valentiniano tertio imperante.* aues reliquæ nobiles ſuam quæque plumam repetentes Aquilam jam propè implumem reliquiſſent. Quo tempore etiam Cornix ipſa permultas Aquilæ plumas ſurripuit: & poſteà regijs inter ſeſe diſcordantibus auibus, aſtutia ſua ſæpè commiſsis, regias etiam pennas ſuffurata eſt. Ita Cornix ſurrepit ſuperba plumis, furtiuis armata

pennis iiſdem ipſis, quos ſpoliauit, imperatoribus ac regibus valdè terribilis euaſit.

In hoc etiam ſpeculo viuam illorum imaginem temporum, quæ conſequuta ſunt, intueri licet, ſi ſtatum Chriſtianæ ſpectemus Eccleſiæ. Nam poſtquam Chriſtus cum Euangelio ſua veniens aliam libertatem aliam orbi pacem dediſſet, id eſt, ſpiritualem & cœleſtem, ejuſque non vnum aliquem Apoſtolum principem ſibi vicarium, ſed omnes ex æquo, monarchiam ſibi ipſe retinens; ariſtocraticos cuſtodes reliquiſſet, populus ſuis addictus vitijs liberatori pacificare bellis, rectores Apoſtolorum ſucceſſores de dominio inter ſe contendentes, primò vnum extulere pontificem, cujus ſucceſſores diſcordijs ſuis intulere Mahumetum, vniuerſalis propè epiſcopi ſynchronon. Non deerant aliqui ex huius pontificis deceſſoribus, qui libertatem Euangelicam etiam ad mortem defenderent, alij partim aliundè partim ex illius ſuceſſoribus orti, qui deprauarint, & perfidioſiſsimè proderent, vt Hæretici Arrius, Marcion, Eutices, Neſtorius, Pelagius: donec ex illis planè compoſitus omnibus libertatem Eccleſiæ palàm inuaſit ille Antichriſtus. quem dum quidam chriſtianè nobiles Bruti ſpiritualitèr jugulant, ab eodem corporalitèr jugulantur. Ipſe regnat intereà, & in innocentium ſauguine tripudiat, non vt Octauius, ſed vt Antonius: quod vtut ille, dum ſibi dominatum quæreret, inuitus induxit Octauium: ſic pontifex dum de dominio contendit, vnum inuitus ſibi totique Europæ dominum imponet, vel diſsidijs ſuis Europæ dominis vnum inducet dominum Ottomannum. quod vtrunque Deus clementiſsimus omen auertat.

Ac ſæpè quidem antehac ciuiles diſcordiæ veſtræ Ottomannum in meos ſines attraxerunt: qui maximam mei partem orientalem præreptam Chriſto noſtro poſsidendam dedit ſuo Mahumeto. & nuper bellum ciuile Germanicum inter Cæſarem ac ſuos principes infœliciter excitatum Oſmundum imperatorem Turcicum furioſum adoleſcentem cum ingenti exercitu pœne quantem

tem intulit in munitiſsimum orbis Chriſtiani Antemurale meam, Poloniam. Quæ res imperatori Turcico domum reuerſo ſtatim exitio fuit mallem fuiſſet imperio. Non ſic ſemper regiones meas ſibi finitimas, quas arator ſolitus ſcindere vomere, bellator inſolens premeret vngula, ſereretque ſulcos meos non ſemine, ſed ſanguine, &, quod maximè lamentor, Chriſtiano: qui ab immanis homicidæ manu fuſus, ſinu miſericordi receptus meo, ad Deum juſtum clamare de terra, & vindictam poſcere non deſtitit. Donec Oſmundus ferox, velut alter Senacharib, poſt Iudæam fruſtrà attentatam, domum reuerſus à ſuis confoſſus interijt. Nihil eſt ſanguinis clamore vocalius, qui ferit enſe, ferè perit enſe, quòd expiandam cæde cædem, cruore cruorem diuina mundi moderatrix juſtitia cenſeat.

Sed nihil me grauius angit, quàm quòd duo populi ambo Europæi, ambo Chriſtiani, bis vterini, ſemel ortu, iterùm ſpiritu, in opprobrium deitatis Chriſti ſui in meo rurſùm vtero colluctentur, & tanquàm cadmæi fratres metuis concidant vulneribus. vtinam vt Chriſti gerunt nomen, ſic imitarentur manſuetudinem. vtinàm in Chriſto conuenirent, ſaltèm eatenùs, ne propter fidem ad mutuas cædes concurrerent. ſed nunquàm conuenient. Ita meo ſemper periculo tumultuantur. ego ringor intereà, ego laceror in dies. Nec in cujus poſt Deum ſinu juſtiſsimas deponam querelas meas, niſi in veſtro, clementiſsimi reges, non reperio. Nullus adhuc rex Europæus cruentas haſce lites componere laborauit, niſi Britannicus. Cujus vtinam cæteri reges piam & principe verè Chriſtiano dignam moderationem retinerent. Sed vereor ne pontifex, & belli potiùs quàm verbi tubæ ſanguinarij Ieſuitæ Chriſtianum optimi regis Conſilium clàm impediant. Hìc filio cuidam meo non tam ars, quàm dolor & indignatio verſum expreſsit. tanta rei indignitas, tanta fundi mei calamitas videbatur, vt exclamaret cum poëta pauculis verbis immutatis:

Quò, quò ſceleſti ruitis? aut cur dexteris
Aptantur enſis conditi?
Parúmne campis atque Neptuno ſuper
Fuſum eſt fraterni ſanguinis?
Non vt ſuperbas Æmuli Bizantij
Romanus arces vreret:
Aut ſanus Ottomannus vt deſcenderet
Sacra catenatus via:
Sed, vt ſecundùm vota Turcarum, ſua
Europa cadat Dextera.
Neque hic lupis mos, nec fuit leonibus
vnquam, niſi in diſpar feris.
Furórne cœcus, an rapit vis acrior?
An culpa? reſponſum date.
Sic eſt: vt olim frater murum Romulus.
Cauſatus occidit Remum.
Et nunc Abele Cainus occiſo Italus
Impunè cauſatur fidem.
Bis immerentis fratis in terram fluit
Sacer nepotibus cruor.

Scribit author ſatis locuples meteranus longè jam antè inter pontificem conueniſſe, & inter non imperatorem Germanicum, ſed archiducem Gretſianum, ducémque Bauaricum, vt id facerem quod fecerunt, id eſt, vt copias ſuas vario prætextu ad reformatam Eccleſiam eradicandam conuerterent: quemadmodùm antè Paulus tertius Carolum quintum magnis & equitum & peditum copijs adjutum ſuis ad eandem actionem commouiſſet. At nunc quidem Bauaricus Palatinatum à Pontifice quaſi ſumptus & laboris ſui præmium, vt feudum ab Eccleſia tenendum accepit.

Non mirabar certè, pagana cum eſſem, factióque magna jam eſſet in cœlo, dea cum dea, deus cum deo litigaret; ſic vt Saturnum patrem Iupiter filius de regno deturbare dictus ſit, Græcos & Romanos ethnicos talium vel exemplo dæmonum, vel ſtudio partium capitalibus inter ſe odijs diſſenſiſſe. Sed cum pax jam eſſet in cœlo, eámque

eámque Chriſtus ſeruator noſter cum Patre & Spiritu ſuo non modò voluntate, ſed natura conſentiens ſecum in terram detuliſſet, & cum doctrina, tum exemplo ſuis præijſſet, vt pacem inter ſeſe atque amorem firmiſsimè colerent: chriſtiana jam facta mirabar diſcordias inter Chriſtianos tam mortiferas ſeri potuiſſe ac foueri. Sed ſi populus inſaniret, & fureret, ſacerdotes tam furioſos & inſanos minimè putabam fore. Non erat nouum cum adulter Iupiter, inceſta Iuno, Venus meretrix, fur Mercurius, Mars homicida, pro dijs in orbe colerentur: ſacerdotes & populũ trãsfuſis è cœlo vitijs dearum deorumq; extitiſſe imitatores ſuorum. Sed cum potentiſsimus Dei filius omnes illos improbiſsimos dæmones è templis ſuis ejeciſſet, idémque ſanctiſsimus omnis continentiæ, patientiæ, humilitatis, manſuetudinis diſcipulis ſuis perfectiſsimus author atque exemplar præluxiſſet, ſperatam fore, vt diſcipuli, præſertim ſacerdotes diuinum magiſtrum ſuum propiùs exprimere moribus conarentur atque effingere. Sed inducor, vt credam dæmones iratos, quod Chriſtus eos expuliſſet è templis ſuis, in quorundam ſacerdotum immigraſſe animos Chriſti ſpiritu deſtitutos, vt illos facibus ſuis ad omne flagitium atque facinus incenderem. vt rex ſapientiſsimus in viſione turbarum eorum cum idololatriam, tum homicidia veneficia, fornicationem, & furta graphicè depinxit.

Noueram multos hujus pontificis deceſſores ſanam fidem, purúmque cultum, ſanctis moribus exornaſſe: próque ea fide mortem à paganis imperatoribus illatam patientèr tuliſſe, quam nunc in alijs ipſi jamdiù crudelitèr perſequuntur. Vnde accidit, vt ego, cùm Romam, cui priùs adhæſeram, à fidei cultuſque ſui puritate primitiua perſpicerem diſceſsiſſe, ne, eodem cum ipſa tandem implicarer exitio ab ejus ſocietate in reformatæ Eccleſiæ ſinum seceſſerim. Nam vt ſiquis in ſole cum alijs ambulet, etiamſi aliam ob cauſam ambulet, fit natura tamen vt coleretur: ſic cum in renati Euangelij ſole cum meis filijs obitèr ambulo, ſentio me ipſa Chriſti ſpiritu

ſenſim

ſenſim quaſi coloratam. & ſum nonnunquam in ſpeculis, obſeruans differentias vtriuſque Eccleſiæ, Pontificiæ & Reformatæ. Reformata nihil curat, niſi quod ſcriptum eſt; Pontificia adjungit etiam ſcripto, quod traditum eſt. illa quid verum, hæc quid vſitatum. illa quid pium, iſta quid commodum. illa quid hominem ædificet internum, hæc quid delectet atque ornet externum. illa quid ſalutare ſpiritui, hæc quid plauſibile ſenſui. Niſi quòd ſtatis jejunijs, cilicijs, vigilijs, flagris, cœlibatu internam immundiciem tegere, fictâmque ſanctimoniam affectare conetur. ſed attendit illa, quid Deus mandet: iſta, quid homo decernat. Grauis homo, ſed homo. Nihil enim in papam animo dicam inimico denique reformata contrarium ſibi errorem vel mulcta pecuniaria plectit, vel carcere, vel exilio, Niſi cum perduelliorum jungatur: pontificia repugnantem ſibi ſententiam, quam hæreſim appellat, capite plectit, ferro flamâque perſequitur. Non ſatis, vt ego arbitror, conſideratè. Nam iſto nimio rigore, & Martyrum illuſtrauit patientiam, & regum elicuit miſericordiam, & multitudinis vrſit defectionem. Suſpicabantur enim omnes boni, non eſſe veram illam religionem, quæ niſi tantæ ſanguinis effuſione conſtare non poterat.

Et cùm mores vtriuſque Eccleſiæ conſidero, non nego ſuos reformatis eſſe næuos: vitia erunt, donec homines, quæ tamen pontificij in reformatis vehementiùs, quàm par eſt, exaggerant, ſed vt in veſte candida labes & macula faciliùs, quàm in nigra deprehenditur: ſic in vita euangelici peccatum faciliùs notatur, quàm in vita hominis pontificij: nec inficias eo, in reformatis eccleſijs, quæ parſequutionis metu tenentur, aſtrictiorem eſſe: quæ perſequutiones metu liberantur, vt in rebus proſperis accidit, ſolutiorem diſciplinam.

Sed pontifex in illis non peccata perſequitur, ſed fidem. Hic ego paucis pontificem appello. perſonam te diuinam dicis, vicariam Dei. Túuc igitur, ô pontifex, ſic animas inſtruis, vt corpora deſtruas? Hoc non eſt diuini-

diuinitatem induere, ſed exuere humanitatem. Non pontificem agere, ſed carnificem, nec vicarium Dei ſed diaboli. paſtor vniuerſalis dici cupis. Non verba ſed res oportet præſtat iſtuc mihi. Tria ſunt paſtoris munera, paſcere gregem, orare pro grege, mori pro grege. Gregem autem vel fame, vel veneno enecare, gregem execrari, gregem deglutire atque deglubere, vtrum vobis, ô reges, paſtoris an lupi partes videntur? At hæreſim morte mulctandam putat, in quo ſemper principium petit, & ſumit pro conceſſo, quod poſitum eſt in quæſtione. ſed nunquam bonis viris in Catholica eccleſia placuit, vt hæretici morte mulctarentur. voluerunt viuere, vt reſipiſcerent, non trucidari, vt perirent. multæ leges imperatoriæ latæ, vt caſtigarentur, nullæ vt occiderentur. Dominus ipſe non vetuit conuentus hæreticorum diſſolui, ora ijs obſtrui, ſermonis libertatem ijs præcludi; ſed vitam eripi vetuit, vt ait Chriſoſtomus. Quo crudelius Lateranenſis Concilij decretum ſemper mihi viſum eſt hæreticis comburendis: blaſphemos, idololatras, homicidas, perduelles lex diuina, & patrum conſtitutio morte mulctauit, hæreticos corrigendos cenſuit, non occidendos, niſi Arrianos, qui Chriſti diuinitatem oppugnarunt, niſi Manichæos, qui dæmonem pro Deo agnouerunt, & ſacram euchariſtiam fœdiſsimè conſpurcarunt. Sed quæ tandem eſt iſta tam grauis hæreſis, quam pontifex ferro flammáque perſiquendam ſtatuit. Niſi panem conſecratum, inquit, deum tuum eſſe crederes, vſtuladerê. Itane? guſto panem poſt conſecrationem, poſt etiam video fractum, Scripturam audio fundamentum fidei meæ, cum ſacramentum poſt conſecrationem ſæpius panem, ſemel fructum vitis appellet, intelligo cauſam cur poſt remaneat ſubſtantia, vt ſeruetur analogia; & tamen vſtulabor, niſi credidero verum id eſſe, quod ſenſus abhorret, ratio refellit, fides reſpuit? Num æquum putaret pontifex, vt ipſum Turca combureret, quòd deum ſuum deuoret? Minimè, credo. & tamen ipſe alijs, niſi portentoſum dogma verum eſſe crediderint,

Auguſt. epiſt. 127

Chriſ homilia in Mat. 47.

rint, ferrum flammámque minitatur. Dura lex, vt filij mei occidantur, ſuſpendantur, exſecentur, exurantur, niſi crediderint viuificum Chriſti corpus ab impijs, a muribus, à canibus, a porcis comedi? Hæccine vobis, ô reges, ratio ſatis idonea videtur, cur tot hominum myriades tam immanitèr trucidentur? O ſpectaculum diabolis gratum, hominibus verò atque angelis luctuoſum. Interea pontifex, vt Pilatus, lauat manus ſuas, dicítque à ſe neminem occidi, ſed hæreticos à ſe condemnatos brachio ſæculari puniendos tradi. En, reges, ad vos vafer homicida omnem cum conſcientiam ſceleris, tum inuidiam facti ſui tranſtulit.

Nondum filios meos reformatos ex profeſſo plenèque defendo: Rogo primùm vt pontifex parcat humano ſanguini: ſecundò, vt Europæo: tertiò, vt Chriſtiano. quia filij mei credunt omnia, quæ continentur tribus ſymbolis, & quatuor primis concilijs Tumenicis. Quod ſi pontifex humanum ſanguinem ſitiat, fundat Turcicum, ne fundat Europæum: fundat Mahumeticum, ne fundat Chriſtianum. Athenienſes prudentiſſimos homines, cum externus immineret hoſtis, domeſticarum omnium injuriarum amneſtiam induxiſſe accepimus, vt conjunctis animis atque armis hoſti communi ſe opponerent. Quod idem exemplum Romani veteres ſimili tempore renouarunt, cum Hanibal eſſet ad portas, vt quas injurias partes diuiſæ altera alteri remittere non poſſet, eaſdem omnes periclitanti jam communi patriæ condonarent. Narro vobis, ex domeſtica diſcordia veſtra, vana vates ſim, Europæ certum auguror interitum. ventura probentur præteritis. Nonne Conſtantinopulis in varias factiones diſſecta, eóque recuſans gazas ſuas in vrbis defenſionem tempeſtiuam impendere ab imminentibus Turcarum copijs occupata atque direpta eſt? Nonne diſcordiæ veſtræ barbaros in Græciam à vobis neglectam attraxerunt? Nonne graues veſtræ contentiones hoſtem in Pannoniam à vobis deſertam inuitarunt, cæteráſque partes mei orientales? Nonne nuper ciuile

bellum

bellum Germanicum poſt pugnam à noſtris in Dacia infœlicitèr commiſſam ſuperbum tyrannum induxit in Poloniam? O Græcia, ô Pannonia amiſſæ noſtro diſsidio & deſertione, ô pudor, ô domus Ottomanica probroſis altior Europæ ruinis. Nonne ſi veſtræ diſcordiæ, vt cœperunt, inualuerint, hoſtem aſtutum & potentem, & omnes rerum gerendarum opportunitates obſeruantem in Auſtriam & in Italiam iterum inferent, atque adeò in Viennam & in Romam ipſam inducent? ô papa non modò hæreticorum, vt vocat, ſed catholicorum ſuorum ſacra pernicies. Hìc alius mihi filius meus communis periculi timore & dolore commotus graues hosce verſus effudit.

Improbe, quò iugulas hoſtes, iugulabis amicos?
Si non vis noſtris parcere, parce tuis.
Non impunè tuos Turca, Polonia, campos
Proijciens ignes vngula preſſit equi.
Ac ne poſt vereor te verberet, Auſtria, flammas
Inferat & tectis, clara Vienna, tuis.
Labentemq; diù Turca furioſa ſuperbo
Ne pede Cæſareum proruat ira thronum.
En metuo iam. Roma, tibi, ſeruilia collo
Barbarus iniciat ne iuga Turca tuo.
Et ne, papa, tua regnet Mahometus in aula,
Et, quod feciſti, ne patiare malum.
Ac poſtrema tibi ſoboles infauſta parenti
Acceleret fatum ne Ieſuita tuum.
Iam faueo, Ieſuita, tibi, ne ſanguine pœnas
Sub Muſſulmannis ſanguinolente luas.
Tunc panges triſtes elegos ſeroq; dolebis
Orbem diſſidijs diſſoluiſſe tuis.
Et fruſtrà dices, ô ſi pax illa coiſſet
Regis pacifici conciliata manu.
Impius hæc tam culta noualia Turca tenebit?
Barbarus Auſtriaci iugera pulchra ſoli?
En quò chriſtiadas miſeros diſcordia duxit!
En quibus hoſpitibus noſter aratur ager!

Quàm ſaperes, ſi ſic ſemper Ieſuita, timeres!
Sed tu more phrygis phrygis poſt damna ſapis.
Iam ſape, iamq́; feres zelum prætendere factis
Deſine, flagitijs nomina ſancta dare,
Tandem idola Deoq́; hominiq́; exoſa relinque,
Deſine ſanguinibus commaculare manus.
Turca Dei flagrum. idoles incenſa ſeuera
In te zelotypi canduit ira Dei.
Dum gemmis ſtultè decoras idola, prophanos
Atque auidos Turcas in tua templa vocas.
Dumq́; ſeris lites inter mea regna cruentas,
Immanes Turcas in mea regna trahis.
„ Chriſtiadas omnes minuis, dum diuidis, ipſum
„ Diſſidium, vobis afferet excidium.
Europam prodis Turcæ, Ieſuita, tuorum
Dum furijs, proprijs viribus iſta ruit.
Nam proteſtantum dum propugnacula vertis,
Præſidia Europæ dimidiata facis.
Sic per te cantabit Io modò Turca triumphe,
Europa at mœſtas concinet Iliadas.
Tu Chorus in ſcena pullatus fortè ſuperſtes
Deflebis Roma triſtia fata tuæ.
Quòd panem non credo Deum, me papa trucidat,
Papam Turca, ſuum quòd voret ille Deum.
Quòd minimè ſimulachra colam, me papa cremabit,
Papam Turca premet, quòd ſimulachra colat.
Papam Turca vices noſtras vlciſcitur, ille
Chriſticolis veris inuidet, iſte nothis.
Quamq́; diù noſtrum fundes, Ieſuita, cruorem,
Fundet Turca, Deo ſic ſtatuente, tuum.
„ Qui ferit enſe, ferè perit enſe, pianda ſuprema
„ Iudicio cædes cæde, cruore cruor.
Si ſapias, motos fluctus compone, nec vnquam
Bella moue noſtris, exitioſa tuis.

Pontificium animum non mouebunt tanta pericula vel publica vel ſua; at veſtros, ſpero, regales animos commouebunt. Videtis & rempublicam & eccleſiam quot-

annis in ſummum adductas eſſe diſcrimen: quæ quaſi
duæ pupillæ à Deo commiſſæ fidei veſtræ miſericordiam
veſtram implorant: eccleſia pro vobis Deo quotidiè
ſupplicat, quemadmodum monuit D. Paulus, vt impe- *2. Tim.*
rio veſtro ſubditi vitam pacatam & quietam agant cum
omni pietate & honeſtate. Quo loco Apoſtolus pacem
domeſticam pietatis & honeſtatis optimam nutricem
eſſe cenſuit. Non eſt dubium, quin ſit aliquod bellum
juſtum, quod cum externis hoſtibus geritur, vt pia pace
domi perfruamur. ideò bellum juſtum fidei exercitium,
quod pij reges cum hoſtibus eccleſiæ reique publ. gere-
rent, idem Apoſtolus exiſtimauit. *Heb.* 11. Nec inficias
eo, reges jure poſſe etiam rebelles ſubditos armis coër-
cere, ſed homines quietos Deo ſuo ex verbi ſui præſcri-
pto humilitèr ſeruientes, regique ſuo fidelitèr obſequen-
tes ex pontificis vel imperio vel rogatu bellis affligere,
periniquum videtur. Non redimere tales eſt opprimere,
quid eſt igitur innocentes diuexare? verum eccleſiæ cau-
ſam adhuc non agam apud majeſtatem veſtram, cujus ſta-
tum plenius poſtea filij mei demonſtrabant in qua æter-
na quidem omnium noſtrûm ſalus agitur: Nunc agam
cauſam reipublicæ, in qua temporalis omnium noſtrûm
incolumitas decernit. ponite vobis ante oculos Europæ *Reſpublica calamitoſa.*
flebilem ſpeciem, & ad commouendos animos veſtros
neceſſariam: vrbes meas captas, domos direptas, templa
ſpoliata, matronas & virgines conſtupratas, parentes co-
ram filijs, filios coram parentibus trucidatos: omnia
mihi vitæ ſubſidia eripi, rem pecuariam deſtrui, agricul-
turam deſeri, mercaturam tolli: terra latrocinium, mari
pyraticam exerceri: graſſari penuriam, famem, peſtem,
belli fructus acerbiſſimos: ſilere leges, jacere ſcientias,
pollui mores nec hominum curam, nec Dei metum eſſe
vllum: ſed & rempublicam & eccleſiam tam lamenta-
bilitèr affligi, vt earum ſtatus ſanè, calamitoſiſſimus vix
longa videatur pace recreari poſſe. Hic vos igitur, ô re-
ges & principes, reſpublica primum implorat. Cæſar
Auguſtus. Viuit in memoria grata Europæ, ſempérque
viuet.

viuet eorum imperatorum gloria quamuis ethnicorum, quibus id propoſitum fuit, vt rempublicam copijs diuitem, opibus firmam, gloria amplam, virtute honeſtam efficerent. Inter quos Cæſar Auguſtus eminet, quem maximum bellatorem fuiſſe accepimus, qui vindicatis patris interfectoribus, victórque ciuilibus bellis omnibus, nouiſsimè Antonio ad actium nauali pugna ſuperato, quocum duodecim annos rempublicam tenuerat, triumphator orbis totius, pacíſque perpetuæ reſtitutor, per quatuor & quadraginta annos rexit imperium, agris vbertatem, artibus nitorem reddidit, vrbémque Romam optimis inſtitutis & legibus magnificiſque operibus exornauit, & ſeptuageſimo ſexto ætatis anno, cum quinquaginta ſex imperaſſet, nolæ obijt: eò fœlicior, quòd Chriſtus ſeruator orbis potiùs ſub pacifico Auguſto, quàm ſub belligero Cæſare voluerit naſci: atque hunc pacificum principem parentem patriæ primùm atque Auguſtum nominatum legimus. Sequuti ſunt illum multi tyranni, qui rempublicam miſerè diſsiparunt, quorum exoſa mihi memoria eſt: donec ventum eſt ad Flauium Veſpaſianum, qui feſſam atque labentem rempublicam recreauit: nam per decem annos, quibus imperio præfuit, ſingulari ſtudio ac prouidentia rempublicam adminiſtrauit: Hieroſolymis expugnatis domi cum Tito filio triumphauit. Nulla re vtilior reipublicæ quàm quòd Titum ſucceſſorem reliquit, delicias generis humani: cujus breuius imperium vt putabatur, perfidia fratris Domitiani, patri fratríque diſsimiles, cæde multorum illuſtrium virorum inuiſi, & tandem conſpiratione ſublati. duos Flauia familia juſtor imperio dominos genuit: tertium Caligulæ ſimillimum aut Neroni, de quo ſcitè ſcripſit neſcio quis,

Veſpaſianus.

Titus.

Vix tanti eſt habuiſſe illos, quia dona bonorum
Sunt breuia, æternum, quæ nocuêre, dolent.

Nerua.

At Nerua ſtatim, ſed non diù ſolabatur rempublicam quam rexit anno vno, menſibus quatuor. de quo verè Martialis,

Contigit

Contigit Auſoniæ procerum mitiſſimus Aulæ
Nerua, licet toto nunc Helicone frui.
Recta fides, hilaris clementia, cauta poteſtas
Iam redeunt, longi terga dedêre metus.
Hoc populus genteſq; tibi, pia Roma, precantur,
Dux tibi ſit ſemper talis, & iſte diù.

Quod additum eſt, quia tum propè ſexagenarius erat. Neruæ quidem accommodari melius poterant preces illæ, quibus Poëta adulabatur Domitiano.

Summe Deûm, ſeruato ducem, ſeruato ſenatum,
Moribus hic viuat principis, ille ſuis.

Porrò nerua ſucceſſore fœlicior Trajano, quàm Auguſtus Tiberio. quem talem progenitum vxoris impulſu non inuitus tamen reliquiſſe creditur ſucceſſorem, vt Tiberius Auguſtum faceret deſiderabiliorem. quanquam ne Trajanum quidem ſine exceptione laudamus. Tiberius Chriſtianis mitior, quàm Trajanus. ſed ſuis Trajanus æquior, quàm Tiberius. Quanta autem fuerit in Trajano bonitas acclamationes principibus exhiberi ſolitæ teſtantur, cum illis fœlicitatem Auguſti, bonitatem Trajani adprecarentur. quem etiam epiſtolis Plinianis factum erga chriſtianos legimus mitiorem fuiſſe. Sed nihil Antonino lenius, qui pij cognomen meruit. Nam per annos três & viginti nullum ſub eo bellum fuiſſe ſcribitur. Amor & timor gentium in eo certare videbantur. timebant gentes illi bellum mouere, quem vt numen placidum venerantur. amari etiam ſe putabant ab imperatore, quem non adeò gloriæ cupidum videbant, vt per aliorum damna cædeſque eum appeteret. verè pacificus princeps, regum pater, ſeptuagenarius obijt. Hæredem autem inuenit non in familia, ſed in republica M. Aurelium Antoninum, non minus paci deditum, ſed magis bello vtilem, vt tum tempora reipublicæ requirebant. Nam omni tum ſeptentrione ſæuiente, perſis vaſtantibus orientem poſtquam illos per verum principem generum & conſortem imperij attriuiſſet, Marcomannos & Quados ipſe deuicit, Chriſtianæ legionis adjutus non armis modo,

Traianus.

Antoninus.

Iacobus Britannicus.

M. Aurelius.

Legio fulminatrix Chriſtianorum.

modò, ſed precibus, vt ad ſenatum ſcripſit ipſe, vnde chriſtiana legio dicta fulminatrix, quæ pluuiam à Chriſto ſuis, fulmen hoſtibus impetraſſet. deſideratiſsimus princeps mortuus, tam incommodum reipublicæ relinquens filium commodum ipſe tam bonus hoc vno patriæ, quod genuit, nocuit. vt contrà Heliogabalus monſtrum generis humani profuit hoc vno moriens, quòd orbus adoptauit conſobrinum hæredem Alexandrum Seuerum.

Alexander Seuerus.

juſtiſsimum principem, qui illud & ore & opere chriſtianum theorema vſurpauit, quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris. & aulicum quendam ſuum, qui multos ſubditos quæſtuoſis ſibi mendacijs expilaſſet, fumo ſuffocandum cenſuit, quòd fumum vendidiſſet. ſenſit nobilis imperator, quod princeps non modò ſeipſum populo ſuo juſtum, ſed omnes etiam miniſtros ſuos præſtare deberet. qui hoſtibus externis debellatis domi pacem aluit. princeps ſumma in viros bonos beneuolentia, &, quæ præcipua dos principum, ſingulari in omnes clementia, vt ejus incruentum fuiſſe dicatur imperium. chriſtianis etiam fauit, Chriſti cultor occultus eſſem improba, ſi probum imperatorem omitterem, vltimum,

Probus Imperator.

quem afferam, ethnicorum, ſarmentarum victorem hoſtium externorum, domitorem tyrannorum domeſticorum, adeò tamen pacis domeſticæ ſtudioſum, vt ei ſua quædam inuidiam pepererit apud milites audita vox, neceſſarios ampliùs non fore milites, vbi hoſtes deeſſent, quos nuſquam virtute ſua futuros, propediem ſibi propediem ſibi promittebat. rectiùs feciſſet, ſi ſiluiſſet, rectiſsimè cognomen probi meruit, quem omnes norunt cæteram liberaliſsimum tantùm ciuilis fuiſſe parciſsimum ſanguinis.

Propoſui vobis, ô principes chriſtiani, clariſsima ſpecula, in quibus patres, aut deceſſores veſtros, atque adeò vos etiam ipſam ipſos conſpicere poſsitis: qui rempublicam: pace, ac omnium rerum opulentia, &, quod longè maximum eſt, juſtitia & honeſtate & artibus ingenuis florentem conſeruarunt, domitis prius externis

hoſtibus,

hoſtibus, & perduellibus interdum bello repreſsis. vt imperium Auguſti non minùs verè, quàm elegantèr ab Horatio depictum verſibus pueri legiſtis.

Tua, Cæſar, ætas
Fruges & agris retulit vberes,
Et ſigna noſtro reſtituit Ioui
Derepta Parthorum ſuperbis
Poſtibus, & vacuum duellis
Ianum Quirini clauſit, & ordinem
Rectum, & vaganti fræna licentiæ
Iniecit, emouitq́ culpas,
Et veterum reuocauit artes.
Per quas Latinum nomen & Italæ
Creuêre vires, famaq́ & imperi
Porrecta maieſtas ad ortum
Solis ab Heſperio cubili.
Cuſtode rerum Cæſare non furor
Ciuilis, aut vis eximet otium,
Aut ira, quæ procudit enſes,
Et miſeras inimicat vrbes.
Non qui profundum Danubium bibunt,
Edicta rumpent Iulia,

Cæteráque ab eodem in odo altera de pacato Cæſaris imperio ſcripta dulciſsimè: ode 5. car. 4. ad Auguſtum vt tandem in vrbem rediret. quibus ego fideles Anglos nuper vſos credo verſibus, vt peregrinantem ſuum deſyderatiſsimum Carolum domum reuocarent.

Lucem redde tuæ dux bone patriæ, *Carolus.*
Inſtar veris enim vultus vbi tuus
Affulſit, populo gratior & dies,
Et ſoles meliùs nitent.
Vt mater iuuenem, quem notus inuido
Flatu Carpathij trans maris æquora
Cunctantem ſpacio longiùs annuo
Dulci diſtinet à domo,
Votis omnibuſq́ & precibus vocat,
Curuo nec faciem littore demouet:

Sic deſyderijs icta fidelibus,
Quærit patria Carolum.
Tutus bos etenim rura perambulat,
Nutrit rura Ceres, almaq; fauſtitas,
Pacatum volitant per mare nautæ,
Culpari metuit fides.
Nullis polluitur caſta domus ſtupris,
Mos & lex maculoſum edomuit nefas,
Laudantur ſimili prole puerpera,
Culpam pœna premit comes.
Quis Parthum paueat? quis gelidum Scithen?
Quis Germania quos horrida parturit
Fœtus incolumi Cæſare? quis ferè
Cerillum curet Iberiæ?
Condit quiſque diem collibus in ſuis,
Et vitem viduas ducit ad arbores.

Cæteráque pacis domeſticæ commoda ſub pacato Auguſti Poëta venuſtiſsimè deſcripſit imperio cujus in curia floruerunt multi clariſsimi doctiſsimique homines mæcenas, Pollio, Varius, Virgilius, Lollius vir excellens ne in cæteris magis notis inſiſtam, cujus animus rerúmque prudens, & ſecundis temporibus dubijſque rectus, vindex auaræ fraudis, & abſtinens ducentis ad ſe cuncta pecuniæ, conſúlque non vnius anni, ſed quoties bonus atque fidus judex honeſtum prætulit vtili, & rejecit alto dona nocentium vultu. Quam vellem veſtræ multos haberent curiæ Lollios? non ſic ſæpè juſtitia, non ſic ſæpè bonus imperator venderetur. porrò Lollius beatus habitus, non multa poſsidens, ſed Deorum muneribus ſapientèr vtens, durámque callens pauperiem pati, pejuſque letho flagitium timens. optimum ſanè, purpuratis aulicis exemplar, qui ſe non ſuis bonis liberalitèr largiendis, ſed alienis injuſtè rapiendis beatos exiſtimant, cum multi ſapientes ethnici nummorum aceruos putarint eſſe nihil aliud, quàm fortunæ ludibria & temporum munera, nec tam eorum expetierint abundantiam, quàm & in vtendo rationem, & in carendo patientiam. vnde Lollius

Lollius.

llus vir integer & verè magnanimus, mori potuit ex tempore pro charis amicis, pro dulci patria. O doceat ethnicus aulicus christianos aulicos. dignum vero Auguſti curia curialem.

Nemo ſuos, hæc eſt aulæ natura potentis,
Sed domini mores Cæſarianus habet.

Quod de Domitiano Martialis elegantiùs ſcripſit, quàm veriùs. ſed in Auguſtum quadrare optimè poterat: cujus longa fœlicitas quibus eſt optata principibus, ijs illius egregia virtus imitanda. Poſſuntne Galli hoc ſpeculum in manus ſumere, & non ſtatim in illo magnum illum Henricum quartum ſuum contueri? qui nunquam ciuilem ſanguinem fudit niſi inuitus & gemens, & in campo reſiſtentem: qui conſtituto imperio protexit reformatos, quos ſibi ſemper fideliſsimos eſſe cognoſſet, quorum etiam fidem Ludouicus martis hujus digniſsimus filius erga majeſtatem ſuam expertum ſynceriſsimam video, & ſemper experturum eſſe non dubito: cujus regia clementia, quam nuper illis oſtendit, cum ipſum omnibus chariorem, tum regnum ipſi ſuum ſtabiliùs, multò firmiùſque dubioprocul efficiet. omnes in filio patrem, in patre filium amant, alterum cum patre ſperantes Auguſtum futurum, niſi fortè patrem Cæſari ſimiliorem putent, quàm Auguſto. Poſſuntne Angli hoc ſpeculum tollere, & non ſtatim Elizabetham magnam illam ſuam nunquam ſatis laudatam principem contemplari, cujus quadraginta quatuor anni totidem Auguſti pacificè imperantis annos exæquarunt? quæ regina majora geſsit ſedens in cubiculo, quàm multi reges in campo bella geſſerunt. Sed hanc æterna dignam memoria principem alio & ſuo loco celebrandam cenſeo. Poſſuntne omnes Britanni hoc ſpeculum capere, & non ſtatim in illo magnum illum Iacobum ſuum pacificum principem intueri, qui tot annos in Scotia primùm, deinde in Anglia, pacis, opulentiæ, juſtitiæ, literarum, patriæ parens fœliciſsimè regnauit, vt Auguſti annos exceſſerit. de quo etiam alio loco & ſuo plura mihi ad juſtam illius

laudem ſtatuo eſſe dicenda. Sed hic videtis aliquot chriſtianos principes (ne cæteros, quos ſuo loco grata celebrabo, præteritos quiſquam putet) veteres illos, quos dixi, paganos egregios principes, non exæquaſſe modò, verùm etiam ſuperaſſe; in ijs beneficijs temporalibus, quæ in terrenam rempublicam contulerunt.

Eccleſia.

Sed quanti iſta ſunt, ſi comparentur cum illis æternis beneficijs, quæ chriſtiani imperatores in cœleſtem rempublicam, id eſt, eccleſiam congeſſerunt? Nam quid ſi frugibus, ſi mercibus abundarem, ſi vijs à latrocinio, maribus à pyratica liberatis pace perfruerer opulentiæ matre, quid ſi magnificis ædificijs, bonis legibus, probis moribus, ingenuis artibus exornarer, & intereà carerem ſana fide, puro cultu, ſanctis precibus, incorruptis Domini ſacramentis, quibus mihi ſolatium viuæ, tum gloria mortuæ ſolo Chriſti merito parta communicetur? quid, inquam, illa mihi terrena beneficia prodeſſent omnia, hiſce cœleſtibus deſtitutæ? ſi hìc beata viuerem ad tempus, & poſt miſera perirem in æternum?

Itaque ne Dauidem, Iehoſophatum, Aſam, Ezechiam, Ioſiam, Iudææ pijſsimos principes commemorem, qui hoſtibus externis bello fuſis vnà cum pace verum Dei cultum reſtitutum domi conſeruare ſtuduerunt: relictis paganis chriſtianos imperatores videamus.

Conſtantinus magnus.

In quibus elucet Conſtantinus, qui meritò magnus dictus eſt: qui crudeliſsimis tyrannis, imprimiſque Maxentio ciuium & chriſtianorum oppreſſore ſublato, inde abrogato idolorum cultu, Chriſtum ab omnibus colendum præcepit, templáque illius ſacratiſsimo numini erexit, Nicænam coëgit Synodum, qua profligauit Arrianam hæreſim, Chriſtíque Dei fidem conſtituit, Romani epiſcopi diœceſin ſuis terminis circumſcripſit, Can. 6. Conſtantinopolim extruxit, nouámque Romam appellari juſsit, barbaris bello domitis domi pacem ſtabiliuit, vno parùm cautus, quòd moriens inter tres filios diuiſit imperium, quod vni ſoli tutiùs commiſiſſet. Ante Conſtantinum epiſcopi Romani perſequutionem ipſi tule-

runt, non alijs intulerunt: fidem chriſtianam à Paulo relictam fideles maximam partem paranymphi vt caſtiſſimam virginem vel ſanguine ſuo defenderunt: nondum inſolens ille primatus, nondum imaginum adoratio, nondum angelorum & ſanctorum inuocatio, nondum purgatorium commentum paganicum, nondum peregrinationes religionis ergò ſuſceptæ, nondum indulgentiæ, nondum monſtroſa panis tranſubſtantiatio, nondum carnalis localiſque Chriſti in ſacramento præſentia & manducatio nondum impia miſſalis oblatio, nondum idololatrica ſacramenti eleuatio atque adoratio, denique nondum peccatoris juſtificatio per fidem & opera Romanam eccleſiam inuaſerant, in ſola Ieſu Chriſti fidem à Paulo Apoſtolo fundatam: eam religionem, & politiam, quam apoſtoli reliquerunt, ſacra ſynodus confirmauit, Romana eccleſia primò tenuit, poſt expulit, reformata retulit, Conſtantinus omnibus hæreſibus ejectis ſolam authoritate imperatoria propugnauit. Itaque edixit, vt hæreticorum templa euerterentur vniuerſa: nullóque loco vel publico vel priuato conuentus hæreticorum permitterentur. Ita non modò idola gentium, ſed falſas illas de Chriſto opiniones, quæ erant idola hæreticorum, Arrij, Marcionis, cæterorúmque hæreſes profligauit. poſteà Conſtans ejus filius imperator occidentis ſolam religionem orthodoxam Arriana exacta penitus hæreſi defendit: & Conſtantio fratri ſuo Arriano imperatori bellum indixit, niſi Athanaſium reſtitueret. Iouianus recuſauit ijs imperare, qui fidem recuſarent chriſtianam integram profiteri. Ego, qui ſum chriſtianus, inquit, non poſſum eſſe vobis imperator, qui eſtis diſcipuli Iuliani. Gratianus primo in imperium ingreſſu, cum omnia plena Arrianis videret, quibus leges Valentis patrui ſui libertatem atque animos addidiſſent, generalem veritus tumultum, ſi tot ſtatim & ſubitò depreſſiſſet, Neceſſario potiùs quàm libenter cuique religioni libertatem ad tempus atque immunitatem permiſit. Sed conſtituto poſt imperio, junctus Theodoſio mandauit, vt omnes perpetuò hæreſes

Euſeb. de vita Conſtan. lib. 3. cap. 63.

Conſtans imperator occidentalis.

Socr. lib. 4. c. 16.

Soc. lib. 5. c. 2.

Iouinianus.

Gratianus.

obmuteſcerent, diuinis & humanis legibus interdictæ, vt nemo diutiùs vel docere vel diſcere prophanam doctrinam præſumeret. venationibus vacans Gratianus, ſic tamen vt reipublicæ regendæ, Eccleſiæque moderandæ curam non remitteret. Theodoſius ſenior imperij conſors, Gratiano dolis maximi ſcelerate interempto, Valentinianum fratrem quamuis Iuſtinæ matris inſtiuctu Arrianam hæreſim amplexum Conſtantinopolim ad ſeſe vnà cum matre, fugientem fideliſsimè viuerem adjuuit, non ſatis poſteà gratum adeò ſæuientem in Dei ſeruos fruſtrà cum exhortante Theodoſio. qui tamen Valentiniano juniori imperium aſſeruit, Maximo Gratiani interfectore, Eugenio Valentiniani oppreſſore ſublato, militante illi æthere, & conjuratis in ejus auxilium ventis, vt poëta eleganter cecinit, victoriam adeptus, quemadmodùm Elizabetha regina ſimilem victoriam conſequuta eandem virtutem oſtendit, quam Theodoſius, qui exterminatis hæreſibus vnam fidem orthodoxam, ejecta barbarie liberales diſciplinas, externo hoſte domito pacem domeſticam coluit, & Damaſum Syriſium, Anaſtaſium epiſcopos Romanos in cauſa Flauiani intercedentes rejecit, vt Elizabetha pluribus in cauſa Chriſti fortiſsimè reſtitit. Theodoſij filij duo Arcadius & Honorius patris ſui pietatem ac virtutem imitati eliminatis hæreſibus religionis chriſtianæ veritatem in imperio ſolā legib. ſuis cōſtitutam defenderunt. Sed quia magna jam de veritatis & eccleſiæ poſſeſsione contentio ingrauiſsit: eam ego quæſtionem doctiſsimis quibuſdam filijs meis, quò majeſtati veſtræ ſatisfiat, ſolide diſceptandam relinquam. Intereà majeſtatem veſtram ſuppliciſsimè demiſsimèque obſecro, vt huic ſanguinario pontifici, & furijs belli Ieſuitis tantiſpèr obſtruatis aures veſtras, dum illi cauſam ſuam egerint, & innocentiam declararint. Hìc me pontifex, vt anum querulam & fatidicam incuſauit. quæ non ſolum illius ſcelera publicè perſtringere, ſed fata præcinere quodam modo auſa fuerim, præcipuè verò, quod Ieſuitas ſenis amores ac delicias acrius pupugerim. Inuehitur etiam

Codi. titulo 5. lege omnes.

Theodoſius ſenior.

Theodoſij & Elizabethæ reginæ comparatio.

etiam in ſtultum illum oratorem & vanum poëtam Lutheri aut Caluini Catulum, (vt miniſtros Euangelij vocare ſolent) qui hauc perſonam impoſuerit, Europæ, vel vt terræ, rei inſenſatæ, vel ſi viuam attulerit, petulanti illi fœminæ quondam Tauri cujuſdam concubinæ, quem poſteà Iouem appellabant, vt authore crimen eleuaretur, à quo poſteà ſecti nomen orbis ſcitè fingebant inditum fœminæ, vt probrum facti honore tituli tegeretur. Hìc ſilicernium clamabit, ſiccinè decrepitam & deliram anum quaſi Sybillam induci querentem apud vos (ô reges & principes filij mei chariſsimi) patrem veſtrum odioſiſsimis ſanè conuitijs & contumelijs onerantem? primò me vetula vafrum homicidam vocat. quamobrem? quòd ex decreto ſanctiſsimi Concîlij Lateranenſis œcumenici hæreticos igni, ſi fieri poſsit, ſi non poſsit, ferro brachij ſæcularis tollendos eſſe ſtatuam. non igitur ego fundo ſanguinem chriſtianum, ſed hæreticum. & meos Ieſuitas ſanguinarios appellat. eadem ratione medicos ſuos ſanguinarios appellet licet, qui quò febrem peſtilentem pellant, plus putridi ſanguinis interdum, quàm ipſi vellent, mittere coguntur: crudeles autem medicos intemperans æger facit. Ego verò grauiſsimos patres in extrema mundi ſenecta à Ieſu datos Ieſuitas judico medicos peritiſsimos curandæ eccleſiæ tàm grauitèr ægrotanti: quæ diuinas apoſtolicas, eccleſiaſticas traditiones ſuperbè rejicit, ſolo Dei verbo ſcripto à ſe expoſito contenta, cum verbum Dei ſit partim ſcriptum, partim traditum. Ita Scriptura non totalis fidei regula, ſed partialis ſupplenda traditionibus, ſine quibus ne Scripturæ quidem ipſe ſuam obtinent firmitatem. vnde fit, vt eccleſia proteſtantium teterrima laboret hæreſi, quam Caluino Turciſmum meritò poſſumus dicere, verè gangrænam, quæ tam latè ſcripſit, vt totum corpus in periculum adducat, ideoque exſecandam atque exurendam ſtatuimus cum apoſtolo, & hæreticum hominum de vita eſſe tollendum, vt monuit D. Paulus, Hæreticum hominem poſt vnam aut alteram admonitionem de vita, hoc eſt, de vita tolle:

Vt D. Giffardus.

Vt exponit locum Alanus Cardinalis in Apologia.

tolle: & vt angelus monuit D. Petrum in illo lintei viſo animalium pleni, occide & manduca. Non eſt enim iſta occiſio crudelitas, ſed pietas atque ſynceritas. Quid? quod neceſsitas iſtam nobis extorſerit ſeueritatem, experti enim eſtis hanc ſectam hæreticam ſeditioſam eſſe & rebellem. vnde copias Europæas antea ſemper vnitas nouis hiſce opinionibus videtis eſſe deſtractas ac debilitatas, vt mirer anum ſtolidam à quo læſa ſit neſcientem, crimen reformatorum, vt vocat, filiorum ſuorum, qui reuerà Turcis Europam prodiderunt, in me ac meos tam impudenti mendacio transtuliſſe. porrò vbi fuit, obſecro, ſecta iſta veſtra ante Lutherum? quæ cum Turcicas opes auxerit, & in Europam ſæpiùs inuexerit, excindenda priùs nobis eſt, deinde Turca communibus catholicorum armis aggrediundus. Doleo tantum expendi catholici ſanguinis, vt extirpetur hæreticus: ſed ita neceſſe eſt, tantóque merito vobis, ô reges, in cœlo major acquiritur gloria, quibuſcunque contigerit in campo contra tam obſtinatos hæreticos pro catholica eccleſia mortem oppetere. Mea catholica eccleſia eſt, mea igitur chriſtiana, quam tu tam ſæpè jactas. filijs autem hiſce tuis non chriſtianis, quia non catholicis, ſed hæreticis & apoſtatis idem regero, quod olim antiquis hæreticis Tertullianus, qui eſtis? aut vnde veniſtis? quid in meo agitis non mei? mea poſſeſsio eſt, prior poſsideo, diù poſsideo: hæc à Chriſto in Petro fundata eccleſiia, Chriſti promiſsione munita, Chriſti prece firmata, ne vnquam à fide deficiat: quam Diuus Paulus toto orbe celebratam ſcribit fuiſſe. Hæc viſibilitate, vniuerſalitate, vetuſtate, vnitate, ſucceſsione pontificum à Petro, & infallibilitate cathedræ clariſsimè diſcernenda ab obſcuris, & inuiſibilibus, nouis ac diſſectis hæreticorum cœtibus. Ac, ſi altiùs libeat aſcendere, meam eccleſiam eſſe aſſero ſemen mulieris, quæ contritura erat ex promiſsione caput ſerpentis, Lutheranam & Caluinianam eſſe ſemen ſerpentinum, quæ calcaneum mulieris mordeat. nos eſſe cultores deiparæ virginis, Caluiniſtas ſanctiſsimam virginem,

Vt Baronius in excommunicatione Venetorum ſcribit.

Tertullianus de præſcriptione aduerſus hæreticos.

Verſio vulgata.

ginem, matrem Dei conculcare: meam eſſe arcam Noæ, extrà quam nulla ſalus expectanda eſt: meam eſſe Abrahæ legitimam conjugem, Caluinianam vt pellicem ex Abrahæ domo pellendam eſſe: Meam eſſe veram Iudaicam, quæ ſummo pontifici adhæreat, Caluinianam eſſe, Hieroboamiticam, vel Samaritanam, quæ ſacerdotibus ducibus ex populi fœce ſumptis ad vitulos planè defecerit: denique meam eſſe eccleſiam Chriſti, domum Dei, columna & firmamentum veritatis, apud me depoſitam ſacram Dei veritatem, quæ ab epiſcopo ad epiſcopum deſcendens velut à manu in manum mihi tandem tradita eſt. Depoſitum hoc à veſtris poſtulamus. quærimus quorum epiſcoporum manibus tradita ſit vobis veritas iſta quam vos prætexitis. qui quaſi per ſaltum ſupra annum milleſimum ſexenteſimum vigeſimum tertium reuehuntur, vt illam repetant ſcilicet ab apoſtolis. Mea ſacerdotum ordinatio, mea injunctio, mea vocatio, mea miſsio; veſtri miniſtelli non ordinati, non vncti: non vocati, non miſsi currunt, perſonæ merè laicæ, quæ nec ligare, nec ſoluere conſcientias peccatorum, nec cœlum illis vel aperire poſſunt, vel claudere. mea clauis, meum cœlum, meus denique Chriſtus ipſe, veſter clauis abyſsi, veſter puteus, veſter antichriſtus, Lutherus ille apoſtata monachus, cujus tu mihi nomen impudentiſsimè affingis, ſtella illa, quæ de cœlo in ſtygium puteum deciderit, illa refuga, qui apoſtaſiæ ab apoſtolo Paulo memoratæ dux anteſignanus extiterit. Hìc ad extremùm præterire non poſſum inſcitiam ineptiſsimi rhetoris à quo anus inducitur pœnam deprecans priùs, quàm culpam depellens; quam cum audio veſtras miſericordias implorantem, ſuauis mihi quædam videtur ſcriptoris inſania: ſed cum ſentio meo meóſque jeſuitas anili manu miſsis ab illo punctum aculeis, effrænata videtur eſſe malitia, quam vel per aliquem meum jeſuitam palàm, vel clàm fortaſſe commodiùs per aliquem jeſuitam, vt loqui ſolent, potentem meum corde, ſuum ſpecie vlciſcendum cenſeo. Vobis autem, ô chariſsimi filij, author ſum, vt hujuſmodi

Mariana lib. 3. de inſtitutione Regis.

Rhem in Ioh. 4.

Rhem. in locum 1. Tim. 3.

Vt Bellarmin. probat.

ſamoſorum libellorum authores grauiſsimè puniatis: ne regium poſt nomen infament, vt nunc pontificium: fractiſque jam Bohemicis, Germanicis, Gallicis hæreticis, cæteros ſuo loco & ordine demetendos putecos. & ramis jam propè defractis, ad ſtirpem ipſam excindendam animum appellatis. Memineritis hæreſeos in Anglia, ſi à primo Elizabethæ hæreticorum patronæ miſerrimæ numeraueritis, præteriſſe jam annum clymactericum; Iacobum Regem acriorem fortiorémque hæreſeos defenſorum factum eſſe cum natura ſua, tum etiam experientia mitiorem. Nec ſuos ferre poſſe tam multos in Anglia & in Scotia feruidiuſculos puritanos, proteſtantes autem vt vocantur, homines ferè moderatiores eſſe, nec illos rigidiores caluiniſtas admodùm probare, vt ſolebant, eſſe nonnullos ibidem occultos, vt apertos in Belgio Arminianos, qui Caluiniſtas non ferunt, multum vt commodi nobis ex illorum occulto diſsidio poſſit accreſcere. Nihil autem à rege clementiſsimo & prudentiſsimo mali metuendum, niſi illum ſui domini & populus Puritani in regni concilio congregati exacerbauerint. Hæc apud ſuos ſecretò ferè pontifex.

Quibus ſeparatim ſingulis, vobis arbitris, ô potentiſſimi ſapientiſsimíque reges, per doctores eruditos & pios breuitèr reſpondendum cenſeo: rogo, atque obſecro majeſtatem veſtram, vt illos benignè audiatis. ſi priùs ego pro meipſa pauca reſpondero. Scitum eſt excurrere in perſonam, vt ſophiſtæ in ſcholis ſolent, cum cauſam probare non poſsint. Probabile videbatur Papam ea mihi objecturum, quæ objecit: me perſonam ineptam eſſe, quæ coram veſtris excellentijs cauſam filiorum meorum agerim. præuideram, fore, vt Europam illius paternitas, vel alius ejus nomine matrem ſuam terram ſtupidam diceret. eò credebam aptiorem vt illum terræ filium admoneret, queinadmodum ipſum ortam de terra beſtiam notat Apocalypſis: nec dubitabat apoſtolus Paulus diuina quadam proſopopeia terram ſub onere peccatorum gementem inducere. Nam cum adeò gran- Rom. 8.

des peccatores, vt eſt pontifex, non audiant cœlum, audient terram: vt prophetæ cœlum & terram inducunt contra ſceleratos hujuſmodi conteſtantes, & multa quadam eloquentia conclamantes, & ſi homines obmuteſcant, lapides loquentur, & immanem Apocalypticæ beſtiæ crudelitatem coarguent. proſpexeram etiam fore, vt facetus pater, &, vt quidam ex eodem ordine nominabatur bonus ſocius animum ſuum in ſenectute iuuenilem vetere illa fabula oblectaret, quæ fingit Europa regiam & cum ſimplicem virginem tauri ſpecie deceptam à Ioue vitiatam fuiſſe, eóque, ſecti nomen orbis accepiſſe. Quod ſi verum fuit, id tamen à te probro objici Europæ minimè decuit, à te, inquam, qui ſenex fornicator Mathilda & Lucretia teſtibus, alijſque multis ſæpè conuictus es. *Bon compagnion.*

Nouimus & qui te, tranſuerſa tuentibus Hirquis,
Et quo, ſed faciles nymphæ riſere, ſacello.

Sed fuerit mater tua Magdalena, matrémne tuam ſenem jam & Deo deditam improbus filius infamares? falſúmque ei Taurum verus ſæpè taurus objiceres? Sed pontificis, vt Iouis latialis ſanctitas, aut cardinalis aut jeſuitæ grauitas nullam hujuſmodi ſuſpicionem admittit. Nullus eorum vnquam tanquam falſus amphitrio indutus veſti famulari decepit maritum, vt permoleret vxorem; nullus eorum patrem deluſit vigilantem filiæ cuſtodem Acriſium vt in gremium Danaes per impluuium conuerſus in precium deus carnalis aureo velut imbre deplueret. Sed nolo iſtam coram tantis excellentijs mouere camarinam, quam tamen à ſuis Mantuano, Palingenio, Vrsbergenſi, Platina, immo Bernardo etiam ipſo ſic motam video, vt pontifices omnibus putere videantur. verùm ſacerdotis lutulenta vitia non excutio: truculenta exagito. Cum proteſtantes interrimit, hæreticum ſeſe ait ſanguinem fundere, non chriſtianum. & Paulum allegat authorem ſæuitiæ, cujus eſt illud, hæreticum hominem poſt vnam aut alteram admonitionem deuita, hoc eſt de vita tolle: vt interpretatur Alanus cardinalis. & Petrum, cui

 dictum

dictum eſt, occide & manduca, vt Baronius cardinalis exponit in gratiam Venetorum, confice Venetos atque diſperde. O duos verè dignos diabolo ſacellanos. & hæreſim pontificij gangrænam vocant. cui ne ſerpat longiùs, vſtionem dicunt ſectionémque adhibendam eſſe. & jeſuitas ægrotæ eccleſiæ medicos appellant, quod vt febrem peſtilentem pellant, multum putridi ſoleant mittere ſanguinis. Hæc cauſa eſt, cur me tam acerbè traducat ſæuus iſte pontifex: & meum Amanuenſem Lutheri & Caluini latulum appellet, nec immeritò, qui ſacrilegum furem allatret. cujus notat inſcitiam quòd me priùs induxerit deprecantem pœnam, quàm culpam depuliſſem: perinde ac ſi multæ proteſtantium apologiæ non extarent, quibus ſuam fidem atque innocentiam defenderunt. Sed grunnit beſtia, quia ſe compunctum hiſce ſentit aculeis, & minatur id, quod multis fideliſsimis miniſtirs intulit, quorum famam & vitam boni reges eò magis tuendam putabunt, talium conuitijs & inſidijs appetitum.

Sed audite jam, precor, filios meos, qui totam cauſam ſuſtinebunt. Ego tam indocta ſum, quàm ipſe papa: ſed illi ex clero Anglicano Romæ domitore excitati cum Europæ, tum eccleſiæ matris vlciſcentur injuriam, eòque magis, quia pontifex per ſuos emiſſarios jeſuitas, multis nobilibus eccleſiæ reformatæ partibus, quaſi ramis abſciſſis, nunc Britannicam quaſi caput cauſæ, & ſtirpem excindere callidiſsimè conatur.

Detrahat, eccleſiæ naturam, membra, partes diſtinctè deſcribens.

Primus eſt D. Thomas Theogeometra, qui ad ſacram Normam exigens omnia, Scripturam ita efferet, vt nihil de eccleſia detrahat: eccleſiam componens ad Scripturam, vt horologium ad ſolem, non Scripturam ad eccleſiam, vt ſolem ad horologium. fidem vt rem menſuratam menſuræ, Scripturæ adæquatam, eáque neque latiorem, neque contractiorem defendens: Chriſtúmque vnicum eccleſiæ cum fundatorem, tum fundamentum euinceus, cujus potentiſsimo ſpiritu ex judaiſmo, paganiſmo, hæreſi, & cumprimis antichriſtianiſmo eccleſia ternata

nata quodammodo, deinde renata Dei beneficio viuit multis in locis, & viget in magna Britannia: quæ multas alias eccleſias tranſmarinas jam afflictas efficaciſsimè conſolatur, Deóque precibus ſuis ardentiſsimis ſuppliciſſimè commendat.

Secundus eſt D. Daniel Filaretes, qui reti ſuo ex ſacris literis ſanctiſque patribus affabrè concinnato, non modò piſces, ſed piſcatorem ipſum capit, qui multos ante piſciculos ineſcaſſet: omnéſque horum verborum homonymias, in quibus latent mortis inſidiæ, (eccleſia, catholica, proteſtans, orthodoxa, hæretica, ſchiſmatica, viſibilitas, vniuerſalitas, vetuſtas, vnitas, ſucceſsio, infallibilitas) aptè enucleatèque diſtinguit atque diſſoluit: aculeata tractans omnia illuſtríque breuitate: Ita terminorum hononymijs aptè diſſolutis, vtri parti eccleſiæ chriſtianæ catholicæ conueniat nomen, meliùs intelligetur. ſimulque via planior & facilior aperietur ad grauem tractationem conſequentem, in qua, poſtquam eccleſia Britannica ad vicium verſibus deſcripta eſt.

Tertius Doctor Franciſcus Albio eccleſiæ reformatæ originem, ſeriem, fidem, cultum, modum originis, qualitatem indolis, jus hæreditatis, viciſsitudinem condicionis, pulchritudiuem ordinis atque regiminis ab Adamo ad Chriſtum, à Chriſto ad hunc diem vſque ſuccinctè accuratèque deducet: quam poëta quidem chriſtianus, quemadmodum prophetæ veteres res graues & ſanctas verſibus exprimere ſolebant, grauiſsimo carmine deſcribet.

Hinc aditus atque janua patefiet alteri tractationi maximè neceſſariæ, in qua particularis origo eccleſiæ Romanæ primitiuæ ex diuiniſsima diui Pauli ad Romanos epiſtola, & quoad fidem, & quoad cultum, & quoad mores, preſſè dilucidèque explicatur: quas partes ſumet quartus D. Richardus Luceres, vt inde poſtea eccleſiæ Romanæ modernæ à ſeipſa defectio juxta apoſtolicam comminationem demonſtretur: cujus caput à D. Paulo & D. Iohanne propheticè deſcriptus ad viuum grandis

ille antichriſtus, viua Romani pontificis effigies, quemadmodum à doctore quodam Anglicano delineatur libro, qui papæ ſpeculum inſcribitur: & à filio quodam meo ad extremum hoc loco verſibus expingitur.

Ex præmiſsis quintus Doctor Iohannes Ipreduxes probat cauſas noſtræ à Romana moderna eccleſia ſeparationis fuiſſe, primò juſtas, deindè neceſſarias, poſtremò nos non tam à Romana eccleſia, quàm à Papatu diſceſſiſſe, ad Romanam verò eccleſiam primitiuam, à qua moderna, dijecerit, redijſſe. Nec eſſe verbalem, vt putatur, ſed realem inter pontificios & proteſtantes differentiam, ſic, vt, qui eorum opiniones reconciliare conatur, perindè faciat, ac ſi reconciliare ſtudeat Chriſtum & Antichriſtum. Simul ætatem cujuſque antichriſtianæ hæreſeos, qua cœperit, notabit: & primarias aliquas hæreſes ex Scriptura ſubtilitate ſolida confutauit.

Hinc ſextus Doctor Neouillus Aculeo neutralitatem exagitans, & duarum in eodem regno religionum ſibi contradicentium permiſsionem ſolidè refellens inducitur: primò gladium acuens ſpiritualem ad conuictam hanc antichriſtianam hæreſim reſecandam; nefas, enim eſſe, vt cum Chriſto cohabitet antichriſtus: ſecundò gladiũ acuens ciuilem ad injuſtam antichriſti violentiam propulſandam, periculoſum enim eſſe eccleſijs reformatis, ne, dum pugnant ſingulæ, vincantur vniuerſæ, id eſt, quam ad rem chriſtianus poëta quidam afflictiſsimum Palatinatus deplorat ſtatum, & regis reginæque Bohemicæ velut ſecundæ Deboræ virtutem juſta laude celebrat, & periculoſiſsimum eccleſiæ Belgicæ vicinæ ſtatum, vt armis ſuis Britanni ſubleuent, cohortatur.

Vt autem omnia agantur ordine, Exorat Europa reuerendiſsimum & honoratiſsimum patrem, velùt alterum ſcæuolam vt huic ſermoni moderator intereſſe dignetur, qui reges primò pontificios grauitèr modeſtèq; commoneat, vt quamprimùm è Babylone diſcedant: aut, ſaltem à fundendo proteſtantium ſanguine, quem ex ſuperiore diſputatione non hæreticum & ſeditioſum,

ſed chriſtianum & catholicum eſſe conſtiterit, mentes manuſque cohibeant: deinde reges & principes proteſtantes, ſi pontifex & pontificij vim injuſtam facere perſeuerent, excitet, vt ad defenſionem oppreſſæ jam eccleſiæ copias ſuas atque arma conjungant: vtriſque proponat rempublicam & eccleſiam, quaſi duas pupillas à Deo non permiſſas poteſtati, ſed commiſſas fidei ſuæ, quarum reges patres nutricios, & fideles tutores eſſe conuenit.

Neceſsitatem autem hujus tanti negotij nobis Europa demonſtrat impoſitam eſſe à duplici hoſtium genere, qui jampridem in eccleſiæ corde ac viſceribus hæſerunt, vnum genus eſt jeſuitarum & ſacerdotum, alterum legatorum, quos cominæus totidem exploratores rectè eſſe dicebat.

Ieſuitarum examina vetus amicus noſter papa ſummiſit nuper in Angliam, qui diſputationis ſimulatione rebellionis fauillas doloſis cineribus obtectas flabellis ſuis clàm identidem ventilarent. Inter quos eminent Piſcator quidam & dulcitius, alter Cantuarienſis archiepiſcopus ſcilicet, alter Eboracenſis à Romano pontifice præſtitutus, niſi forſan ipſi commentitium diploma protulerint, vt mulierculæ ſimplici, quam ad monialis velum ſuſcipiendum incitabant, citiùs imponerent. duo egregij impoſtores, quorum alter multos, piſciculos & piſciculas omnium generum cepit: Nec ſolùm viros & fœminas proſelytos & proſelytas, ſed poſſeſsiones atque hæreditates proſelytas feciſſet, niſi fraus illius bonis quibuſdam viris tempeſtiuè ſuboleuiſſet alter, cum data opera veniſſet ad doctum quendam & pium equitem peruertendum, & eques cum eo de tranſubſtantiationis articulo diſſerere voluiſſet, pugnam cum valente aduerſario palàm & turpitèr detrectauit, ſuperbè rejiciens doctores ſuos objectos, Quid ego curo Scotos & Cameracenſes? qui quamuis abeuus retractus ad equite redire noluit, ideòque etiam à ſuis, quos ſecum attulit, cholericus aſinus meritò nominatus. Nimirùm ſe jactat in an- *Teſte Netlamo. Teſte Domina Read.*

gulis

gulis iſte Dulcitius dulci vino veneni guttulas inſtillans, & labra poculi melle illinens, vt à ſimplicibus imbibatur jucundiùs: ſed cum in potentem fidem inciderit, contremeſcit. Vterque jeſuita noſtris crudelis ſatis: Auditus enim eſt vterque, ſæpè cum diceret, fore breui, vt faſces cariùs venderentur, intelligentes tantam eorum copiam neceſſariam futuram ad hæreticos comburendos. O duos auariſsimos & ſæuiſsimos dæmones. Habent illi multos alios ſocios, vt fabrum falſum, qui noricum procudit enſem, quo grex Palatinus juguretur, hominem vanum & præfidentem, qui ſex heroas eccleſiæ reformatæ D. I. Reynoldum, D. Whitakerum, D. Fieldum, D. Sparkum, D. Bilſonum, D. Fulconem vnus omnes debellandos ſumpſerit, cum ne vni quidem par eſſe potuerit docto miniſtro Euangelij, Ambuloni, verè perito peripatetico, quem tamen faber iſte falſus ad certamen prouocauerat, clamans ante pugnam proteſtantes nec eccleſiam habere nec fidem, in pugna tam hebes & plumbeus, vix vt in tota diſputatione legitimum conficere ſyllogiſmum potuerit, ad eas redactus anguſtias, vt caput ſuum perfricans ſe planè confuſum coram omnibus fateretur. Et tamen iſte Thraſo non vt cautus Horatius aggredi voluit ſingulos ductores noſtros, ſed vt temerarius dares vniuerſos. Adde Sclopetam qui cum pulueri ſuo tormentario ignem admouerit, totam inflammabit eccleſiam. Cujus calicem incantatum è diaboli manibus ereptum, *Ioh. 6.* tam multis & veris circumſtantijs detexit, vt propter egregias impoſturas dignus jeſuitarum ordine cenſeatur. Prætereo, cæteros ſalios ſacerdotes & jeſuitas, regnum turmatim ſubingreſſos, quòd propediem aureos ſibi dies pollicerentur, væ autem Angliæ vani augures prænunciarent. Sed his hij ſophiſtæ nihil proficere potuiſſent, niſi nigrum quendam ſynonem valdè pragmaticum, habuiſſent, cujus gratia niterentur. Quò major neceſsitas vobis incumbit, quibus Eccleſiæ Anglicanæ cura commiſſa eſt, cum tot intus lupi ſint, gregibus veſtris diligentiſsimè prouidendi.

Pote-

Poteſtis obliuiſci quid jeſuitæ diſſeminauerint, id, cujus mentionem facit ipſe pontifex, religionis in Anglia, ſi à primo Elizabeth numeretis præteriiſſe jam annum climactericum: ejus igitur interitum inſtare, vel certè jam appropinquare.

En author, Ieſuita, tuæ vateſq; ruinæ,
Anglè, ſtruens tibi, quod præcinit, ipſe malum.
Muſſitat ille domi, ſed trans mare clamitat, Anglus
Infœlix animam nunc agit hæreticus.
Hæreſeos abijt nunc climactericus annus,
A primo Elizabeth ſi numeretis, aït.
Aſtrologus vates vati concede Iohanni.
Fatalis papæ non procul annus abeſt.
Non tuus hunc nobis portendit horoſcopus annum,
Prænotat occaſum ſpiritus ipſe tuum.
Ex natalitio non collige ſydere fatum
Sed naturali ſemine, Roma, tuum.
Mater Alexandri produxit Olympia flammam,
Abſumpſit propriam quæ violenta domum.
Romaq; cum pareret Ieſuitam, protulit ignem,
Qui lambet matris tecta ſuperba ſuæ.
Ut papam ſathanas, Ieſuitam papa, potentes
Inſtigat furijs ſic Ieſuita ſuis.
Gallis, Germanis, & Belgis fratribus hoſtis
Bella per hos ſulios inſidioſa parat.
Parcet & Angligenis? ſpretæne injuria Romæ
Excidit? irarum eſt oblita cauſa vetus?
Nonne Dolor ſæuus manet alta mente repoſtus,
Vulnera quem veſtra facta dedêre manu?
Membra prius Ramoſq; parat defringere, ſtirpem
Poſt petet Angliacam, poſt petet ille caput.
Fortè reformatos reliquos capitalitèr odit,
Solos Angligenas, quos priùs odit, amat.
Proſius ut Hebræos Ægyptius ater amauit,
A quibus egreſſis exſpoliatus erat.
Pol nihil ille ſapit, qui neſcit retia Papæ,
Queis tot piſciculos piſciculaſq; capit.

Tot dominas dominoſq; prius ſeduxit, vt Euam
    Serpens, quo facile poſt trahat illa virum.
Tot quoque plebeios, vt nunc videatur apertis
    Vel totam gentem ſollicitaſſe modis.
Secta grauis noto velut vnguis in vlcere ſemper
    Hæret, fœmineis inſidioſa choris.
Diuidit vxores a mollibus illa maritis,
    A patribus natos filiolaſq; ſuas.
Nunc ſyrenem adhibet, ſed poſt adhibebit Erynnem,
    Nunc fraudulenter, poſt violenter aget.
Suauiùs vt veſtræ papiſmum inſugere poſſint,
    Syrene calicis melle labella linit.
Munera nonnunquam mittit, ſed mittit in hamo,
    Et piſcatorem piſcis amare poteſt?

Globulos, agnos Dei, grana benedicta.

Dulcíq; mero dulci citò corda veneni
    Suffocat artifici guttula mixta manu.
Infeſtant horum veſtras examina terras:
    Cumq; abijt ſathanas, cauda relicta nocet.
Nam papiſta duûm generum ſeductus ab illis,
    Ille ſuum papam clàm colit, ille palàm.
Iſtum præcaueas, non illum, ſtygma latina
    Fronte quòd iſte feræ geſtet, at ille manu.
Sed iuncti iactant ſe proteſtantibus armis,
    Diuitijs, numero, viribus eſſe pares.
Vnde monent vigiles, tam ſæuis hoſtibus vngues,
    Ne noceant Anglis, vt reſecare velint
Conſilium cepere gregi crudele Britanno:
    Patribus imprimis exitiale pijs.
Proſpiciant patres, cineri ne iniecta doloſo
    Accendat magnum parua fauilla rogum.
Si Ieſuita. Sed ô clemens Deus abnuat omen,
    Norunt quæ fortis forma futura ſua.
En Gardinerus vulpes mitrata redibit,
    Et lanium tento ventre Bonerus aget.
Crammerus dextram tradet quaſi ſcæuola flammæ,
    Ridleius lento toſtus ab igne cadet.
Atque iterùm Latymer veſter Cyprianus in igne,

Atque

Atque Policarpus veſter Hooperus erit.
Et Canbo candens rurſum veneranda notabit
Nomina, conſumet viſcera ſancta Brokus.
Storanſq́ iterùm, Marſhal, Martinus amaris
Sarcaſmis grauium conſpuit ora patrum.
Votaq́ fabrili ſoluet Philpottus in arno,
Taylerus vermes decipietq́ ſuos.
Anglia Bradfordus geminans clamabit in igne
Anglia docta tuis, ô reſipiſce, malis.
Non dubito, quin vos veſtri diſcrimina tangant
Ordinis, & ſancti ſollicitudo gregis.
Quin procerum, quorum vobis concredita cura eſt,
Pectora permoueat veſtra paterna ſalus.
Quin vos pro veſtra vigilare Syone velitis,
Ut Ieſuita ſua pro Babylone facit.
Ille ſuos proceres iterumq́ iterumq́ monere
Audet, vt occidant, viſcera noſtra, greges.
Quin pia veſtrorum moueatis corpora, curæ
Ut ſeruent Chriſti credita membra ſua.
„ Non plus qui cupidè falſum dixere prophetæ,
„ Quàm verum timidè qui tacuêre, luunt.
„ Produnt verba bonam, produntq́ ſilentia cauſam,
„ Qui mala, cùm poſſit, non vetat, illa facit.
Pro Chriſto moriar, qui non loquar? anne cruorem
Ille ſuum dederit, qui ſua verba neget?
Non faciet. Clamet ſidus ſpeculator, ad ipſas
Hannibal eſt portas. fallor. in vrbe latet.
Nutantes firmet, languentes excitet, hoſtes
Terreat, & populi pectora mœſta leuet.
Fracta animet, iungat diuiſi, monentibus addat
Feruentes monitis continuasq́ preces.
At proteſtantem rigidum modò duriùs vret,
Cum miti verò molliùs hoſtis aget.
Mitis Ridleius, rigidus Latymerus, eodem
Crudeli tamen eſt toſtus vterque rogo.
Et moderatius erat Cranmerus, & acer Hooperus,
Ignis diuinum torſit vtrumque ſenem.

Philpottus vehemens, lenis Bradfordus, eodem
Arſerunt ſæuo viſcera ſancta rogo.
Nil veſtrum placet ijs. Zelus furor eſſe putatur,
Et tepor in vobis ducitur eſſe timor.
Naturas mundus nouit diſtinguere veſtras,
Sed non diſtinguet corpora veſtra rogus.
Non tua res agitur, paries cum proximus ardet?
In ponto pontem proximus ignis habet.
Cleræ timor Romæ, Ieſuitæ victor, amicis
Cauſam lætitiæ des reuerende tuis.
Mœſtitiæ cauſam des hoſtibus, omnibus vrbis
Partibus inuigiles proſpiciaſq; tuæ.
Et Ieſuitarum motus communitèr omnes
Obſerues, ſtructos & ſpeculere dolos.
Vt quem ſecta tuis fatalem præcinit annum
Impia fatalem ſentiat eſſe ſuis.
I nunc, & fidei noſtræ ariolare ruinam,
Anglis extremum vaticinare diem,
(Inigo) pulueræ niſi proditionis aruſpex
Sis reus alterius, frigidus augur eris.
Sed per te rurſus ſi incendat Græcia Troiam
Infœlix Hecubæ tu Paris alter eris.

Hæc quidam chriſtianus Poëta, lamentabiles excellentiſsimorum patrum exitus, qui Anglicanæ eccleſiæ fidem ſanguine ſuo conſignarunt, animo contemplans, vix ſiccis oculis exarauit carmina. quæ me certè vehementèr commouerunt.

Nihil eſt, mei filij, quod ego magis exopto, quàm vt pax ſecura ſimul & religio pura, cum in orbe meo toto, tu in magna Britannia cumprimìs perpetuò floreant: vt Eccleſia ſit firmamentum reipublicæ, reſpublica propugnaculum eccleſiæ. Sic dum reſpublica res terrenas commodat eccleſiæ, ab ea recipiens cœleſtes largiſsimè Deo fœneratur. rectè dicitur finis eſſe præſtantior deſtinato, non eccleſia propter rempublicam, ſed reſpublica propter eccleſiam. Dicam ampliùs, & verè. Non eccleſia propter mundum, ſed mundus propter eccleſiam. Deus

vnus

vnus & trinus duas ſibi domos condidit, in quibus ipſius gloria reſplendeſceret, mundum & eccleſiam. conſtantem ex membris duobus, angelis atque homine. mundum creauit ſpeculum diuinitatis ſuæ, gymnaſium ſapientiæ, ærarium opulentiæ, armamentarium potentiæ, amphitheatrum gloriæ nobiliſsimum. angelos antiquiſsimos cœli municipes, quaſi ſibi ſeruos à latere, ſpectatores præſentiæ, participes beatitudinis, ſatellites poteſtatis. hominem colonum terræ, ſed candidatum cœli, epitomen mundi, conſortem angeli, imaginem ſui. vt ſi primam angelorum atque hominis conſideremus originem, angeli non carnati homines, homo incarnatus angelus dici rectè poſsit. Mundus igitur propter angelos atque hominem, id eſt, propter eccleſiam: angeli atque homo, id eſt, eccleſia propter Deum: quem & celebrare teneantur, vt principium primum à quo omnia, & glorificare, vt finem vltimum, ad quem omnia. Deus enim author omnis naturæ, omnis veritatis, omniſque virtutis: radix eſſentiæ, lux ſcientiæ, fons diſciplinæ, : à quo formantur entia, informatur ſcientia, reformatur conſcientia. vnde tres artes humanæ, quibus ſchola tantoperè gloriatur, phyſicè, quæ tractat naturas entium, logicè, quæ format notiones mentium, ethicè, quæ tradet normas actionum. Hic Deum parumper contemplemur, quatenus ſeipſum patefecit, vt principium entitatis, quomodo ſit operatus, certè, vt actor omnipotens, è contrario producens contrarium, ex nihilo aliquid, ex tenebris lucem, ex confuſione ordinem, ex deformitate pulchritudinem, ex imperfectione perfectionem. Deus autem vt creator naturæ integræ, ita recreator corruptæ. in cujus redemptione per Chriſtum tota ſe Dei ſapientia, potentia, juſtitia, veritas, miſericordia, vno verbo, diuinitas plenius & illuſtrius, quàm in creatione patefecit. Nam cum quidam angeli primum à Deo defeciſſent, facti jam diaboli malitia ſua in ſuáque damnatione juſtè relicti, inuidia moti hominem induxerunt in rebellionis ſuæ ſocietatem, quem quamuis voluntariè, tamen

men non malitioſè peccantem Deus data promiſsione benedicti ſeminis caput ſerpentis contrituri admirabiliter reparauit. Hinc, vt mundus ex nihilo, ſic Adamus, antea factus à Deo, ex peccato poſt refictus, cujus perfectio anima animæ ratio, rationis religio, religionis fides, fidei Chriſtus. In quo etiam boni angeli miniſtratorij ſpiritus conſtituti ſunt eccleſiæ, id eſt, ijs qui hæredes ſalutis futuri ſunt. Sic à Deo bis omnia, mundus & creatus & redemptus: quin igitur ad Deum multò magis referantur omnia? & cùm non modò mundus & angeli ſeruiant, ſed Chriſtus ipſe mundi angelorum Deus ſe impēdat eccleſiæ: quin igitur principes hominum primi ſeruire ſeſéque totos impendere tuendæ eccleſiæ Chriſti ſummum eſſe honorem putent? qua collabente, decus reip. collabatur neceſſe eſt. Gloria deceſsit ab Iſraele, vt ait Phineæ conjux. 1. *Reg*. 4. Nam arca domini capta eſt. Sic ego vobis inclamo mei filij, atque vtinam tam altè clamare poſſem, vt orbis exaudiat, ſi arca domini, id eſt, Euangelium Chriſti, ſi eccleſia Chriſti cuſtos Euangelij, ab hiſce vel intra latentibus, vel extrà graſſantibus Philiſtinis propter Iſraëlis peccata capiatur, (quod autem factum eſt, id poteſt fieri) Iſraëlis gloria diſcedet, majeſtas imperij diſſoluetur. Reſpublica & eccleſia ſimul ſtant & cadunt. vnum & commune periclum, vna ſalus ambabus erit. Ruere eccleſia non poteſt, quin eodem reſpublica labefactata motu concidat. Libet igitur breuiter vos affari ijs verſibus, quibus poëta palladium ſuis tuendum ſuaſit.

Æthercam ſeruate deam, ſeruabitis vrbem,
Imperium ſecum transferet illa loci.

Dei ſpiritus ex verbo vobis perſuaſit Euangelium per Chriſtum cælitus ad vos eſſe delatum: palladium cælitus delapſum humanus perſuaſit error. & tamen tuendi palladij ſui quanto deſyderio Romani veteres tenebantur? Idem etiam error illos induxit, vt putarent de cælo Ancylia deſcendiſſe. Vobis autem arma ſpiritualia ex Dei armamentario ſumpta, vera Ancylia, Dei ſpiritus è cælo

ſub-

ſubminiſtrat. Cauete igitur ne veritatem & eccleſiam Dei vobis cognitam & concreditam vel timore deſeruiſſe, vel deſidia perdidiſſe, vel perfidia prodidiſſe Dei hominumque judicio coarguamini. Vos ſcitis, vos, inquam, ſcitis hanc eſſe veram eccleſiam Chriſti, quam habetis: ſunt quidam principes, qui negent, ideóque à Romano pontifice inſtigati inſcientes illam perſequuntur. Vos humiliter docete reges, in quam exitiali cum ſibi, tum vobis ipſis errore verſentur. At jeſuitæ libris veſtris aditus obſtruent ad reges. At reges libros prohibitos ſi ſapiant, & auidius quærunt, & rectius legunt. At vos deterret regum majeſtas, at inuitet humanitas. Quarè, reuerendiſsime atque honoratiſsime præſul, te vehementer exoratum volumus, vt hanc cauſam tua cum authoritate promoueas, tum prudentia modereres. Nihil enim vel pietati, vel dignitati tuæ congruentius facere potes. Hìc reuerendiſsimus pater, cum zelo gloriæ Dei, tum fide erga regem Britannicum, ejuſque progeniem ſingulari commotus, vt juſto pióque ſatisfaciam Europæ ſiue mandato, ſiue deſyderio, facilè inducor, vt faueam inſtituto veſtro, doctiſsimi viri. Author igitur vobis ſum, vt apud reges non eſt contenta verbis, ſed non paucis operibus: quæ quoad theoriam eſt breuis & facilis, quoad praxim longa & difficilis: atque efficitur longior infinitis hominum traditionibus, & ſpiſsior intricatis ſcholaſticorum argutijs. Sed minimè decet regias aures talibus minutijs diſtineri. veritatem autem è ſpinoſis altercationum quaſi dumeris extrahi cupio, & in æqua reſolutionis planicie collocari: reſecari ſuperflua, proponi neceſſaria, immò verò dubia & probabilia prætermitti, certa & indubia ſeligi, quæ pietatem & ſanctimoniam ſapiant. Nec noua, ſed nouè tractetis omnia, ſic vt Chriſtum apoſtoli, apoſtolos patres, patres ſcholaſtici ſequantur: vbi cum Chriſto & apoſtolis patres & ſcholaſtici concordant, recipiantur, vbi diſcordant, relinquantur: nec teſtimonia congeratis ſine argumentis, nec vrgeatis argumenta ſine teſtimonijs, religioni habentes egredi

can-

cancellis illis, quos Scriptura vobis ipſa circundedit. Ma-
neat eccleſiæ catholicæ ſua dignitas, maneat Scripturæ
ſanctæ ſua majeſtas: Eccleſia eſt creatura Dei Chriſti ſpi-
ritu regenita, & Scriptura eſt epiſtola Dei ad creaturam
Chriſti ſpiritu inſpirata: veritas Scripturæ propheticæ
& apoſtolicæ de Chriſto baſis & fundamentum eſt eccle-
ſiæ catholicæ: eccleſia catholica columna & firmamen-
tum eſt propheticæ ac apoſtolicæ veritatis. Suſtinetur
autem non fundamentum columna, ſed columna funda-
mento. Sua igitur Scripturæ firmitas priùs conſtet ne-
ceſſe eſt, quàm extare incipiat eccleſia: qua de re, mi
Theogeometra, tu, ſi me audies, breuitèr & plenè diſſe-
res, vt huic toti ſermoni veſtro ſolidum jaciatur funda-
mentum. Tu igitur, quem ego ſemper ſacræ Geome-
triæ ſtudioſiſsimum eſſe animaduerti, ordire penſum
tuũ. Tum theogeometra mihi quidem ſemper, inquit, res
menſurata menſuræ adæquari debere viſa eſt. Fides eſt
res menſurata, Scriptura menſura. Fides igitur Scriptu-
ræ adæquata eſſe debet, neque latior ea, neque contra-
ctior. Itaque memini Paulum diuinum apoſtolum, qua-
tuor aduerbijs ſapientèr vſum, quibus fideles admoneret,
vt fidem ſuam intrà Scripturæ ſanctæ limites contine-
rent: ſuprà, plùs, contrà, prætèr. Monuit Corinthios,
Suprà. vt ne ſaperent Supra id quod ſcriptum eſt. orthodoxus
igitur non ſapit ſuprà id quod ſcriptum eſt, patet ex apo-
ſtolo Paulo. epiſcopus Romanus ſapit ſuprà id quod
ſcriptum eſt, patet ex Concilio Tridentino. epiſcopus
igitur Romanus non eſt orthodoxus. Monuit idem Theſ-
Plùs. ſalonienſes vt nec plùs, nec minùs, ad Euangelium Chri-
ſti conſummandum, quàm ſcriptum eſſet admitterent.
Væ, inquit Chriſtus illis qui libro Dei quicquam ad-
dunt, væ illis, qui quicquam detrahunt. Ego, ô Deus,
Scriptura duce, vſque ad Chriſtum Ieſum accedo, non
vltrà pergo. Iudæus non eouſque pertingit, papiſta
vltrà procedit. Quid eſt enim aliud papiſmus, quàm li-
mitis à te in Chriſto præfixi tranſilitio? quid ſunt enim
papæ, noua decreta, quàm mera additamenta? Iudæus

igitur minùs, papiſta plùs credit, quàm oportet. Hic limes, hic terminus ſapientiæ noſtræ, fides in Chriſtum Ieſum. qui vel minùs, vel plùs quàm ſcriptum eſt ſiue de Chriſto, ſiue de eccleſia credunt, timeant væ illud addentibus & dementibus deſtinatum. Quam rationem fidei ſuæ à proteſtantibus Deo redditam chriſtianus poëta quidam pauculis expreſsit verſibus, vt memoriæ tenacius inhæreret.

Chriſtus Scriptura conſummat, regula tantùm
Illa mea fidei, terminus ille mea.
Ad Chriſtum accedo, non vltrà pergo, ſupremi
Voti principium finis & ille mei.
Verus homo verusq; Deus, ſat ad omnia ſolus
Eſt mihi, nec quicquam demo nec addo Deo.
Seu certò quærenda mihi ſit vita futura,
Seu rectè præſens inſtituenda mihi.
Ecce breuis fidei ratio, qua credita nobis
A te, magne Deus, reddita vera tibi.

Quod ſi Chriſtus nihil apponi voluit Euangelio ſuo, vt imperfecto, certè nihil opponi voluit, vt falſo: omnis enim additio imperfectionem infert, oppoſitio falſitatem. Monuit igitur Apoſtolus Romanos, vt obſeruarent & deuitarent hæreſeon & ſciſmatum authores, qui contra doctrinam à ſe præſertim in illa diuiniſsima ſcriptam epiſtola quicquam inducerent. Verùm admonuit Galatas, eóſque Anathemate confixit, non ſolùm qui contrà, ſed qui præter ea, quæ ipſe tradiderat, & Galatæ acceperant ab illo, quicquam docuiſſent: ſi non modò contrariam & aduerſam, ſed aliam ac diuerſam Euangelij doctrinam inuexiſſent. quod Auguſtinus ſic exponit, ſiquid intuliſſent præter ea quæ in Scripturis legalibus & euangelicis tradebantur, adeò tremenda diſtrictio, vt ſeipſum & omnes apoſtolos, immò ipſos angelos innodaret, ſi qui non modò contrà, ſed præter illud euangelium, quod Paulus ſcripto tradiderat, & Galatæ acceperant, docere præſumeret. Quòd ſi nec ſuprà, nec plus, nec contrà, nec præter id quod ſcriptum eſt admitti debet aliquid a

Contra.

Præter.

nobis in cauſa fidei cultuſque diuini, quamuis ab apoſtolis, quamuis ab angelis afferatur: certè Scripturam ſanctam non partialem, ſed totalem fidei canonem & regulam eſſe neceſſe eſt, & hoc primum nobis eſſe credendum, nihil eſſe, quod extra Scripturam credere debeamus. Non nego in externo eccleſiæ regimine, in caſu ordinis atque rituum, piæ traditioni & conſuetudini patrum acquieſcendum eſſe: ſed in interno eccleſiæ regimine, in caſu fidei cultuſque diuini, ſoli Scripturæ ſanctæ adhæreſcendum eſſe contendo. Qua in parte argumentum à Scripturæ authoritate negatiuè ductum valere debet. Non tale quicquam Scriptura docuit. Non eſt igitur credendum. Non tale quicquam Scriptura præcepit, non eſt igitur faciendum. Exempli cauſa. Cui vnquam angelorum dixit Deus, filius meus es tu, id eſt, filius naturalis ab æterno generatus. Non eſt igitur quiſquam angelorum filius ejus naturalis. Sic negatiuè ab authoritate Scripturæ argumentatur Apoſtolus *Heb.* 1. *verſ.* 5. Quando, inquit Deus Dauidi, tecum vel cum illis judicibus Iſraëlis ambulans, dixi, domum mihi cedrinam extruite, 1. *Chron.* 15. Non igitur à te, qualiſcunque tua fuit intentio, cedrina domus extruenda fuit, quæ fuit tum pars cultus diuini, juxta regulam Dei à Moſe traditam, quidcunque præcepero, id ſolum facito. Siquidem Scriptura ſancta omnia cum principia fidei, tum præcepta vitæ continet. Itaque D. Paulus ſcripturis veteris Teſtamenti, quas Timotheus à puero norat, Timotheum ſapientem ad ſalutem fieri poſſe diſertè affirmat. vnde ſic infero. In ſapientia perfecta rei cujuſque ſcientia vertitur. At ſacræ literæ poſſunt Timotheum ſapientem facere ad ſalutem, perfectam igitur ſalutis ſcientiam continent. & quidem tam exactè, vt neque aliam doctrinam, quoad materiam tradi ſinant, neque aliter quoad formam. puram & purè. puram, quoad partes, & purè, quoad modum. Duplex eſt enim hujus ſalutaris ſapientiæ corruptela, vna directa, indirecta altera. directa, cum Dei doctrina hominum mendacijs mixta Dei doctrina

eſſe

eſſe deſinit, vt cum componitur vel ex philoſophicis commentis, vel ex humanis traditionibus, vel Iudaicis rudimentis. indirecta, cum retenta materiæ puritate doctrinæ forma corrumpitur aſcititio fuco, vel logicalium argutiarum, vel rhetoricalium cincinnorum, qui grauitati & majeſtati hujus ſalutaris ſapientiæ minimè conueniunt: vbi non modò falſos, ſed vanos doctores notat Apoſtolus. illos prædonibus comparans, qui gregem fraudulentèr à caulis abigunt: hos cauponibus, qui vinum aqua miſcent, vt illi venenatam, iſti dilutam theogiam propinantes vel multum obſint, vel parùm proſint. Vtroſque ſalutaris Scripturæ ſapientia rejicit, illos appellans impoſtores, qui vel philoſophica figmenta, vel traditiones humanas, vel judaica rudimenta cum euangelij ſubſtantia commiſcent: hos verò tribus nos inurens, qui formam euangelicæ ſapientiæ corrumpunt. 1. quòd exinanimant virtutem crucis, 2. quòd eneruent ſpiritus energiam. 3. quod adulterent euangelij caſtitatem. quis igitur perfectionem ſalutis diſciplinam, quam ſacris literis comprehenſam poſtulet? præſertim quum omnem Scripturam affirmet Apoſtolus à perfectiſsimo Chriſti ſpiritu inſpiratam. vnde concludit perfectiſsimam in ea ſalutis ſcientiam comprehenſam. Nam cum primò dixiſſet, Scripturæ veteres Timotheum ſapientem facere potuerunt ad ſalutem, quod æquipollet hijs verbis, ac ſi ſufficientes eſſe dixiſſet: addit ex abundanti totam Scripturam diuinitùs inſpiratam vtilem eſſe, id eſt, ſufficientèr vtilem ad docendum, ad redarguendum, ad corrigendum, ad inſtituendum in juſtitia. Iam omnis perfectio chriſtiani fide conſtat, quæ per charitatem operatur. Fides autem erit perfecta, ſi vera doceantur omnia, & falſa refutentur. Charitas integra, ſi vitia reprehendantur omnia, & omnis juſtitia informetur. At Scripturæ ſanctæ ſunt non modo vtiles, ſed ſufficientèr vtiles ad hæc omnia, ad docendum, ad redarguendum, &c. Sunt igitur ſufficientèr vtiles ad omnia in quibus chriſtiani hominis perfectio continetur. Addit in extremo, vt homo Dei

Gal. 5.

ſit ad omne opus bonum perfectè inſtructus. exertiſmenos. Quaſi diceret, poſſunt Scripturæ ſanctæ Timotheum virum Dei diuinæ voluntatis intetpretem ad omne opus miniſterij ſui perpolire atque perficere. ergò multò magis quemlibet diſcipulum chriſtianum. Eadem enim eſt menſura fidei in populo, & doctrinæ in miniſtro. Nihil tenetur populus diſcere & credere, quod miniſter non tenetur docere & tradere. At Scripturæ ſanctæ poſſunt perficere doctorem. ergò multò magis diſcipulum chriſtianum. Non me latet quas præſtigias jeſuitæ nectant, vt hunc locum obſcurent, & nobis primarium cauſæ ſubſidium eripiant: vrgent perſonæ circumſtantiam. Aiunt Apoſtolum non dicere omnes homines abſolutè ſacris literis, ſed te, te, inquam, Timothee, ſapientem fieri poſſe ad ſalutem, te, inquam, quem priùs viua voce informaui, qui firmitèr credidiſti omnia ſubſtantialia capita doctrinæ, & omnem neceſſariam praximi diſciplinæ chriſtianæ. Secundò ſolas veteris teſtamenti Scripturas intelligi dicunt, quas Timotheus à puero noſſet, ſufficientes fuiſſe non cuiuis homini, ſed Timotheo: nec ſufficientes Timotheo per ſe ipſas, ſed per fidem Ieſu Chriſti, id eſt, junctas cum doctrina chriſtianæ fidei, quam Timotheus viua voce traditam, à Paulo audierat & crediderat. & ſi verbum, vtilis poſteà ſumatur pro ſufficiens, tamen non ſequitur, inquiunt, Scripturam ſolam eſſe ſufficientem fidei regulam cuique homini ſed Timotheo homini Dei, qui priùs plenè inſtructus & firmitèr fundatus per traditionem in omnibus ſubſtantialibus & fidei & vitæ chriſtianæ partibus extitiſſet. vnde traditiones Scripturis adjunctas facere totalem fidei regulam concludunt, & non Scripturas ſolas. Traditiones autem diuinas, apoſtolicas, & eccleſiaſticas faciunt, quas Scripturis non modo comparant, vt pares, ſed componunt, vt partes: immò etiam anteponunt, vt ſine quibus ne Scripturæ quidem ipſæ ſuam obtineant firmitatem. vnde conficiunt, Scripturam in traditionem vltimò & finalitèr reſoluendam eſſe. Reſpondeat

deat Apoſtolus, Scis, inquit, ô Timothee, à quo didiceris, id eſt, à Paulo, qui nihil te docuit extrà ea, quæ Moſes & prophetæ prædixerunt. ergo traditio Pauli fuit ſcripta traditio, quam jeſuitis fatentibus ex veteribus Scripturis Timotheo commendauit. & hæc Paulina traditio per Beræenſes ad ſcripturam Moſaicam & propheticam exigenda fuit, id quod Spiritus ſanctus laudat in Beræenſibus, quòd ſcrutarentur congrueret cum Scriptura, Necne. Ergo Paulina traditio vt ex Scriptura deſumpta, ſic ad Scripturam examinata. Quod ſi Paulina traditio ad Scripturam examinãda fuit, quam Paulus immediato Spiritus inſtinctu docuit: quanto magis traditiones pontificiæ, quas papæ Sp. ſanctum ementientes ſuo tantùm ſpiritu fundunt, ad ſacras literas exigẽdæ ſunt? At vrgent perſonalem circũſtantiam, quæ ſi Pauli doctrinam reſtringat ad Timoth. certè illa perſonalis circumſtantia, Vos recipite Sp. ſanctum, reſtringit illam poteſtatem ad apoſtolos, non igitur extendit ad ſucceſſores. & in loco illo ad Theſſalonicẽſ. Tenete traditiones, quas vos didiciſtis, &c. illa perſonalis circumſtantia traditiones reſtringit ad Theſſalonic. non igitur jam extendit ad Romanenſes. Ita iſto nouo ſuo commento non modò ſcripturas, ſed etiam traditiones perdiderunt. At loquitur Apoſtolus de Scriptura veteris Teſtamenti. fateor. ſed non de ſola loquitur. quia tum cum Paulus hanc epiſtolam ſcripſit paulò ante mortem, magna pars noui Teſtamenti tum extabat. Sed eſto, loquutus ſit de ſola Scriptura veteris Teſtamenti. Vrgeo propiùs aduerſarium & juſto. Quòd ſi veteres Scriptuæ potuerunt facere Timotheum ſapientem ad ſalutem, quantò magis nouæ veteribus adjunctæ veritatem & exhibentes & explicantes potuerunt? At ſufficientes eſſe non poterant ne Timotheo quidem ipſi per ſe, niſi per fidem Ieſu Chriſti, id eſt, vt ipſi interpretantur, junctas cum doctrina chriſtianæ fidei quam Timotheus viua voce traditam à Paulo accepiſſet & credidiſſet. abſurdè. fides in Chriſto Ieſu, vel pro dono fidei ſumitur, vt *Heb.* 4. verdum ijs non profuit, quia non erat

Solutio ſophiſmatis.

mixtum cum fide, vel pro doctrina noui Teſtamenti, vt 1. *Cor.* 15. quæ ſcripta eſt, nunquam autem pro traditione non ſcripta. & hinc ex conceſsis argumentabor à fortiori, ſi vetus Scriptura ſufficiens ad ſalutis ſapientiam conſequendam. multò magis noua veteris exhibitio atque explicatio ſufficiens fidei regula cenſeri debet. id quod patres & ſcholaſtici ſaniores apertè docuerunt. Sed conſultò patrum teſtimonia prætermitto, plenitudine lucis, quæ in ipſa Scriptura ineſt. Contentus ad Scripturæ plenitudinem demonſtrandam. Neque tamen inficias eo, veritatem Dei priùs viua voce traditam fuiſſe, quàm literis conſignatam. Eodem enim modo Deus & mundum illuminauit & eccleſiam. Triduò Deus mundum illuminauit ſine ſole. Et Deus duobus annorum millibus eoque ampliùs eccleſiam docuit ſine Scriptura. quarto die Deus lucem illam primogeniam & diſperſam in corpus ſolare collegit, vt orbem ſemper poſteà per ſolem illuminaret. Sic lucem illam verbi ſui, quam nouis ſubindè reuelationibus per patriarchas velut à manu in manum traditam conſeruauit, tandem Spiritus inſtinctu, Moſis manu Scripturæ quaſi globo ſolis incluſit, vt eccleſiæ ſemper poſteà ſola Scriptura ad beatam immortalitatem præluceret, quæ tota veteri Teſtamento comprehenſa eſt. Eodémque modo Chriſtus priùs, quam opus redemptionis peregiſſet in cruce, verbum redemtionis ipſi cæleſti voci Iudæis promulgauit, nihil autem ipſe ſcripſit, ſed eſt vſus apoſtolis prius vt legatis ad gentes, deinde vt librarijs, qui ſummam Euangelij voce traditam præſenti eccleſiæ, ſcripto commendarent futuræ. Quid autem intereſt inter Chriſtum ſcribentem, & apoſtolos vel euangeliſtas Chriſti ſpiritu ſcribentes, vt loquitur Auguſtinus? Summa. Quod ſi tota Scriptura à ſpiritu Chriſti authore perfectiſsimo inſpirata eſt, ſi plenam ſalutis ſapientiam continet, ſi ſufficientèr eſt vtilis ad omne verum docendum, & omne falſum redarguendum, ad omne vitium corrigendum, & ad omnem juſtitiam informandam: Denique ſi poteſt Timotheum hominem

minem Dei ad omne opus miniſterij ſui plenè inſtructum abſoluere & conſummare : ſequitur neceſſariò Scripturam eſſe fidei morúmque regulam & normam perfectiſsimam.

Poſito igitur hoc prophetico & apoſtolico fundamento ſuperſtruitur eccleſia domus Dei, columna & firmamentum veritatis, vt ſcribit apoſtolus. Nam ſi fundamentum eccleſiæ Scriptura, tum columna orbis eccleſia, vt rectè Chriſoſtomus. Hic præſtigiatores jeſuitæ contrà diſputant, Scripturam ex eccleſiæ traditione pendere, ſuámque ſumere firmitatem. Quòd ſi fides apoſtolica Scripturis, inquiunt, Scripturæ verò perpetua eccleſiæ traditione nitantur: finalis & vltima fidei reſolutio in Traditionem facienda eſt. verum primum, verum igitur & ſecundum. Quod quàm futile ſit argumentum ex argumenti retortione conſtabit. Si fides apoſtolica eccleſiæ traditione, & eccleſia ejuſque traditio Scripturæ authoritate nitatur, finalis & vltima fidei reſolutio in Scripturam faciendam eſt. At ſecundum propoſitionis hypotheticæ membrum ipſi verum confitentur. Interroga, qua authoritate confirment traditiones ſuas, ſtatim illum locum ex ſecunda ad Theſ. epiſtola proferunt. Tenete traditiones, &c. percontare quo teſtimonio eccleſiæ infallibilitatem confirment, ſtatim illum ex prima ad Timotheum epiſtola locum proferunt, eccleſia eſt columna & firmamentum veritatis. Ita cum eccleſiam, tum traditionem Scripturæ authoritate ſtabiliunt. ergò fatente aduerſario non Scriptura in traditionem, ſed traditio in Scripturam vltimò & finaliter reſoluenda eſt. Quatuor ſunt officia eccleſiæ circà Scripturas, primum, vindicis vt internoſcat; ſecundum, interpretis vt exponat. tertium, cuſtodis vt aſſeruet. quartum præconis vt promulget: vnde quoad officium rectè deſcribitur, columna veritatis. elogio monetur officij. Nec tam dicitur, quid ſemper faciat eccleſia, quàm quid ſemper facere debeat. quod apparet ex ipſo contextu. De qua enim eccleſia loquitur apoſtolus? De Epheſina, in qua Timotheus velut

lut in ſpecula conſtitutus eſt. At illa mortuo Timotheo amiſſo aureo ſuo candelabro, veritatis lucerna penitùs extincta, proh dolor, in Mahumeti damnabiles errores & miſerrimam ſeruitutem delapſa eſt. O timeat Romana fatum Epheſinæ, cujus apoſtaſiam imitatur.

Eccleſiæ membra perſonæ ſacræ. Eccleſiæ partes res ſacræ.

Iam eccleſiæ membra ſacræ perſonæ ſunt, non doctores modò, ſed diſcipuli. Res ſacræ ſunt partes eccleſiæ, vt verbum Dei, myſteria, gratiæ cæleſtes, fides, ſpes, charitas, pœnitenita; noua obedientia. Non igitur vlli ſunt eccleſia, quà homines, ſed quà fideles. Corpora & animæ noſtræ non faciunt nos membra eccleſiæ, ſed fides & obedientia. Non ſumus eccleſia ratione carnis & ſanguinis, quæ ſunt de terra: ſed ratione veritatis & gratiæ, quæ ſunt è cœlo. vnde Apoſtolus eccleſiam familiam fidelium & ſanctorum appellat. Fideles autem eſſe non poſſumus, niſi vocati, vnde eccleſia ſuum nomen accepit. vocati extrà per verbum Dei, inquam, non per verbum hominis: verbum autem Dei duplex, promiſſorium & mandatorium. promiſſorium, cui credamus: mandatorium, quod faciamus. Fides, inquit Apoſtolus, ex auditu, auditus autem per verbum Dei. Credi verbum Dei non poteſt niſi audiatur: nec audiri niſi prædicetur. prædicatio igitur & auditio verbi organa fidei. Verbum autem Dei triplicem rationem habet, ſeminis, alimenti, medicamenti. ſeminis, quo in peccato natus regenerêre: alimenti, quo regenitus nutriare: medicamenti, quo æger perſanêre. verbo veritatis myſteria gratiæ neceſſariò ſunt annexa, baptiſmus & cœna dominica, baptiſmus regenerationis, cœna nutritionis ſacramentum: vtraque ſigilla fidei noſtræ, teſſeræ profeſsionis exercitia ſanctitatis. Sed fruſtrà verbum annunciatur, & ſacramenta adminiſtrantur, niſi ſpiritus Chriſti intùs operetur, & per hæc organa efficaci operatione ſua fidem, ſpem, charitatem nobis ingeneret, fidem, qua fundetur eccleſia domus Dei, ſpem, qua erigatur, charitatem, qua conſummetur: vt piè dixit Auguſtinus in hunc locum, domus Dei credendo fundatur, ſperando erigitur, amando

do perficitur: quas ille præcipuas partes cæleſtis ædificij, id eſt, Eccleſiæ Catholicæ partes facit.

Hinc emergit Eccleſiam Chriſti reſpectu perſonarum, qua talium, triplicem diſtinctionem habere: primi Ciues Eccleſiæ, quam Apoſtolus ciuitatem Dei, cæleſtem Hieruſalem appellat. Sunt electi Angeli atque homines, vnde Apoſtolus definit Eccleſiam conuentum vniuerſalem Angelorum & primogenitorum conſcriptorum in Cœlis. Eccleſia ſurſum, Eccleſia deorſum, Eccleſia ſurſum in omnibus Angelis Sanctiſque defunctis triumphantibus in Cœlo, Eccleſia deorſum in omnibus militantibus in terram, vt Auguſt. in Pſ. 137. Igitur in Symbolo proximam Trinitati ſtare oportuit Eccleſiam, vt Domino domum, vt Deo Templum, vt ædificatori Ciuitatem, quæ hic neceſſariò pro toto ſumetur, vt ait Auguſtinus de Catechiſandes rudibus, cap. 30. Non pro parte, non ſolum pro illa parte, quæ peregrinatur in terra, ſed pro illa, quæ permanens in Cœlo ab eo tempore vſque, quo creata eſt, adhæſit Deo. Simul addit cum Apoſtolo, nos qui peregrinamur in terris, vnam cum illis Ciuibus Angelicis facere Ciuitatem. Cum ipſis inquit, Angelis ſumus vna Ciuitas Dei, cujus pars in nobis peregrinatur, pars in illis opitulatur, Aug. de Ciuit. Dei lib. 10. cap. 7.

Triplex Eccleſiæ diſtinctio reſpectu perſonarum.

Secunda diſtinctio Eccleſiæ eſt, quæ cenſetur populus Dei, in toto orbe diffuſus, omnes ſanctos annumerans, qui ante Chriſti aduentum in orbe vixerunt, omnes qui fuerunt, ſunt, futuri ſunt, Eccleſia ſunt, inquit, Corpus Chriſti, non quæ hic aut illic, ſed quæ hic & vbique per totum mundum: neque quæ eſt hoc tempore, ſed quæ ab Abele ad illos qui poſthac naſcentur & credent in Chriſtum vſque ad finem mundi totus Sanctorum cœtus ad vnam Ciuitatem pertinens, quæ eſt corpus Chriſti, & cujus Chriſtus eſt caput, Pſal. 62. quæ Catholica dicitur.

Tertia diſtinctio Eccleſiæ, quæ tempore & loco circumſcribitur, vt particulares Eccleſiæ, Hyroſolymitana, Antiochena, Corinthiaca, Epheſina, Romana, Ecce, inquit Auguſtinus, in Eccleſia ſunt Eccleſiæ, quæ ſunt membra

Aug de vnitate Eccleſ. cap. 11.

illius vnius Eccleſiæ per mundum vniuerſum diſperſi, multæ ſunt Eccleſiæ, & tamen vna Eccleſia, & ita multæ, vt ſit niſi vna. Hæc eſt triplex perſonarum diſtinctio, ex quibus Eccleſia conſiſtit.

Diſtinctio Eccleſiæ reſpectu partium.

Sed èſt alia diſtinctio rerum, ſinè quibus perſonæ Eccleſiæ membra eſſe non poſſunt, immo ſiue quibus ipſa Eccleſia non poteſt eſſe, quæ Regnum Dei dicitur, Regnum autem Dei eſt juſtitia, pax, & gaudium in Spiritu Sancto, vt inquit Apoſtolus, intelligens hos eſſe fructus, hæc effecta Regna Dei: quod minatus eſt Chriſtus, fore vt à Iudæis auferretur, Regnum Dei à vobis auferetur, inquit. Vnde conſtat cum verbum veritatis, & ſigilla gratiæ auferuntur ab vllo populo, populum, illum Eccleſiam Dei eſſe deſinere. Chriſtus enim regnat in Eccleſia ſua per ſpiritum ſine quibus homines Eccleſiam eſſe non poſſunt. In corpore naturali quamuis ſpiritus & facultates membra non ſint, ſine illis tamen membra, nec vitam, nec motum, nec ſenſum habent, nec actionem erunt vllam. In corpore myſtico homines fideles membra ſunt, ſed media & organa quibus fiant & ſeruentur membra Chriſti, ſunt pura verbi prædicatio, & recta Sacramentorum adminiſtratio, ſine quibus nec vitam, nec motum, nec ſenſum ſpiritualem habemus vllum, nec actionem edere poſſumus. Nam membra ſunt mortua niſi fide viuant, niſi gratia creſcant, niſi amore capiti ſuo coaleſcant, niſi ad illius voluntatem per obedientiam moueantur, & quamuis membra non ſint, at ſunt compages & commiſſuræ, ſunt arteriæ, nerui, venæ, quæ vitam, motum, ſenſum, ſanguinem & robur tribuunt corpori Chriſti, quod eſt Eccleſia, & nunc principales corporis facultates, & partes cenſeri debent. Non ſunt extrema ſolum ornamenta & gemmæ, quibus Chriſti ſponſa decoratur, ſed ſunt ſemen ipſum & alimentum, ſemen quo concipitur, alimentum quo nutritur, ſyncerum lac, è duobus teſtamentis tanquam vberibus profluens, quo Eccleſiæ alitur infantia, ſolidus cibus, quo virilis ætas quotidiè roboratur: anima planè & forma Eccleſiæ, quæ ad illius conſtituendam eſſentiam requiran

runtur, non vt veſtes quædam ſplendidæ, quæ ad eſſentiam conſtitutam accedunt, vt illa pulchra accidentia vnitatis, vetuſtatis, vniuerſalitatis, viſibilitatis, ſucceſsionis, cæterumque notarum, quæ Eccleſiæ non ſemper, non igitur eſſentialitèr, ſed aliquando & accidentalitèr, adjunguntur. Exempli cauſa. Adamus & Abel poſt veritatem promiſsionis fide receptam erant Eccleſia Chriſti, erat tamen eo tempore noua, non antiqua: erat poſteà in Abrahami familia primùm, deinde in Iacobi eiuſque poſterorum gente incluſa, non per totum orbem adhuc diffuſa, non igitur Catholica, adhuc & vniuerſalis, erat tamen Eccleſia Chriſti: Erat in Elia tum cum totum Regnum Iſraeliticum Rex, Principes, Prophetæ, Sacerdotes, viri, fœminæ, ſenes, pueri, id quod conqueritur Hoſeas, in cultum vitulorum & Baalis conſperare omnes viderentur. Hìc nulla apparebat Dei Eccleſia in maximo Regno præter Eliam. Atqui erat Eccleſia hominum 7000. præter Eliam. Quæro viſibilis an inuiſibilis? Certè hominum oculis cerni non poterat, ne Eliæ quidem. Erat ergo Eccleſia tunc inuiſibilis. Tamen erat Eccleſia. Poſt cum Leuiticæ tribus ſucceſsione corrupta & interrupta Chriſtus de tribu Iuda cum ſuis Apoſtolis acceſsiſſet, Chriſtus cum ſuis erat Eccleſia, Et tamen externa ſucceſsione caruit. Poſt cum jam è Paleſtina exijſſet Eccleſia per prædicationem Apoſtolicam, Apoſtoli inter ſe ante aduentum Spiritus diſſenſerunt, & poſt Paulus à Petro, Barnabas à Paulo grauitèr diſsidebat, erant tamen omnes Eccleſia Chriſti. Sunt iſta quidem vetuſtas, vniverſalitas, viſibilitas, ſucceſsio perſonalis, vnitas præclara quidem ornamenta Eccleſiæ Chriſtianæ, ſed veritas, gratia, fides, ſpes, charitas, pœnitentia, obedientia, Verbum Veritatis, & Sacramenta gratiæ, quibus vt medijs excellentes illæ dotes in animis hominum per Spiritum Sanctum generantur & conſeruantur, ſunt inſtar viſcerum, & vitalium planè partium, ex quibus illa conſiſtit.

Ex præmiſſis emergit Eccleſiam eſſe vniuerſalem & particularem vniuerſalem, quæ Angelos in Cœlis, omneſque ſanctos & fideles in terris, qui fuerunt, ſunt, & erunt vna notione complectitur: quæ creditur in Symbolo, quæ neceſſe eſt eſſe inuiſibilem. Fides enim eſt inuiſibiletur, vt dicit Apoſtolus.

Particularem, quæ locis & temporibus terminatur, vt Hyeroſolymitana, Antiochena, Alexandrina, Epheſina, Romana, quæ viſibiles ſunt reſpectu hominum, qui verbum prædicant & audiuit, & Sacramenta percipiunt: & reſpectu ordinis, qui in Eccleſia foris exercetur, vnde illud, dic Eccleſiæ. Sed ratione fidei, ſpei, charitatis, reliquarumque ſpiritualium gratiarum, quæ ſunt inuiſibiles, imprimiſque vocationis internæ, & electionis æternæ, quæ ſunt harum origines gratiarum, inuiſibiles eo nomine dici poſſunt.

Atque harum illa triumphans in Cœlo dicitur, hæc militans in terris contra Diabolum, mundum, & carnem. Quam nunc, ſi vnquam, Draco, & Beſtia per ſuos Emiſſarios crudeliſsimè perſequuntur.

Iudæi primò Chriſtum, caput Eccleſiæ, immaniſsimè ad mortem vſque perſequuti ſunt, poſteà Pagani Imperatores Apoſtatos, cæteraque Eccleſiæ membra lacerarunt ac diſcerpſerunt: tandem hæretici, imprimiſque compoſitus ex illis hæreticiſsimus Antichriſtus, Eccleſiam ex naſcentem & renaſcentem acerbiſsimè cruciarunt, & etiamnum cruciant: tamen viri Dei, vi verbi & virtute Spiritus Chriſti Eccleſiam primùm ex Iudaiſmo, deindè ex Paganiſmo, tertiò ex hæreſi & imprimis ex Antichriſtianiſmo etiam cum vitæ ſuæ diſpendio extraxerunt, in lucemque reuocarunt, fræmentibus Phariſeis, ſæuientibus Imperatoribus & Regibus, hæreticis & imprimis Antichriſto Lupinam rauicem cum Vulpina fraude iungentibus: vt vtrum Draco inſidians, an Leo rugiens ortum priùs & progreſſum, deinde Palingeniſiæ Eccleſiæ Chriſtianæ magis impedierit, difficile dictum ſit: Chriſtus tamen eiuſque ſerui Chriſti ſpiritu inſtructi, omnes difficultates omnia pericula ſuperarunt,

rerunt, &, invito Satana, Eccleſiam Christianam in promiſſa terræ poſſeſsione poſuerunt.

Ac Chriſtiana Eccleſia, qua noſtri poſt multam longamque noctem, è tenebris in lucem reduxerunt. Latuit primo ſanè perdiu ſub legis Moſaicæ ceremonialis vmbris ac figuris &c.

Contentio Chriſti cum Phariſæis de ceremonijs abrogandis vt Eccleſiam Chriſtianam ex illis vmbris & typis in lucem educeret, & Phariſaiſmi jugo liberavit. Aiebant Phariſei Deum à ſe ſtare, qui Ceremonias illa præſcripſiſſet: Chriſtum, qui illas reſcinderet, Deo repugnare. Sed cum Chriſtus illorum traditiones attingeret, cum vero in illum inuolabant, illum vt hoſtem Dei, vt hoſtem Cæſaris cruci affigebant. Ita Chriſto prima. Ma. contentio magno conſtitit. *1. Ex Iudaiſmo extracta Chriſtiana Eccleſia.*

Secunda inſtitutio leuior, quam Apoſtoli prius ipſi cum Iudæis deinde ipſi eorumque ſucceſſores cum Gentilibus ſuſceperunt. Regnarunt extra Iudæam illa nullis jam ſæculis faſtioſa, quam dixi; Gentilium Deorum pluralitas, qui vel Dij Philoſophici, vel Dij Politici, vel Dij Poetici dici poſſunt, at omnes opiniones falſæ de Deo conceptæ Dij falſi & Idola rectè vocantur. *2. Ex paganiſmo.*

Pagani dij tres, Philoſophici, Politici, Poetici dij.

Prima Apoſtolis lucta fuit cum Philoſophis. Qui naturam poſuere loco Dei, creaturam loco creatoris. Nam vt minutos Philoſophos mittam, principes Peripatetici & Academici quantoperè delirarunt Ariſtotelij ſomniarunt mundum æternum eſſe, nec poſſe dari primum hominem, & cum mundum ex nihilo creatum audirent, vt principio ſuo contrarium exploſerunt. Deum æternum confeſsi ſunt, vnde intulerunt mundum eſſe æternum, æternæ cauſæ æternum effectum finxerunt enim æterno Deo materiam coæternam, ex qua mundus extitit non libera voluntate omnipotentèr agentis, qui mundum creavit & quando vellet, & quomodo: ſed neceſsitate materiæ quodammodo reſultauit, vel vt radius è Sole, vel vt ſcintilla ex igne; vel vt vmbra ex corpore: nihilò ſapientiores Platonici, qui quamuis mundum cæpiſſe concederent,

rent, tamen per Angelos, conditum arbitrabantur. Vnde Angelorum cultus inualuit; quam paucis verbis Moſes diſuit multa deliria. In principio Elohim Bara, Dij creauit Cœlum & terram. Pluralis numeri ſubſtantiuo Trinitatem perſonarum ſingularis verbo vnitatem naturæ in Deitate ſignificans. Ita Chriſtus in capite libri reperitur mundum creans, vt Dauides Moſem, Dauidem Apoſtolus eponit, *Pſal.* 132. & *Heb.* 1. 10. Sic, vbi deſinit ſapientia Gentilium, ibi incipit Religio Chriſtianorum. Magnum tamen opus fuit piſcatoribus tam abſurdas opiniones ex Philoſophorum animis euellere, de creatione, niſi illis diuinus Chriſti ſpiritus ſubueniſſet. Vnde rectè comes Mirandulanus, veritatem creationis, inquit, Philoſophia quærit, Theologia inuenit, ſed deuotio poſſidet. De Redemptione verò, quam penitùs ignorarunt Philoſophi, deque purgatione peccati acrior cum illis Apoſtolorum concertatio. Nam cum audirent Ieſum quendam filium Virginis natum Iudæa, & à Iudæis ſuis crucifixum atque occiſum, deinde poſt triduum rediuiuum ſuos etiam à mortuis relucturum eſſe, Apoſtolos irriſerunt, vt humanæ ratione contraria planèque impoſſibilia docentes: & cum peccata crucifixi ſanguine purgari dicerent, Platonici ſuum ignem purgatorium regeſſerunt eluendis animæ maculis: vnde ſuum Pontificij purgatorium intulerunt, quemadmodum & Angelorum cultum in Eccleſiam: vt papiſmus nihil in eo, planè videatur eſſe aliud, quàm recoctus paganiſmus ſed tantùm valuit in illis piſcatoribus Chriſti Spiritus, vt falſos illos Deos, quos Philoſophica Schola produxit, id eſt, falſos de Creatione Redemptioneque Opiniones ex multorum Philoſophorum animis extraheret, illiſque Chriſti fidem inſereret.

Sequuta eſt altera cum Politicis luctu, qui non modò naturam, vt Philoſophi, ſed Imperatorem ſuum vt Deum colendum propoſuerunt, cujus nomen multi aſſumpſerunt Imperatores, multis etiam viuis tribuerunt ſui ſubditi, vt Horatius de Auguſto loquitur.

Præſenti tibi diuinos largimur honores,

Iurandaſq; tuum per nomen ponimus aras.

Quod alijs poſt datum Imperatoribus, quibus quòd Ignatius, Iuſtinus, Polycarpus, Cyprianus adolere incenſum recuſauerint, acerbiſsimam mortem pertulerunt. Sed in illorum morte, veritas vixit & vicit, & prophanas illas leges quas Curia contra Cœli & terræ Imperatorem Ieſum Chriſtum pro terrenis illis dijs, id eſt, Imperatoribus colendis induxit, tandem penitùs aboleuit. Et, quæſo, nonne Papa qui vt Deus colitur, & ſic appellatur a ſuis, paganicam iſtam idolomaniam in ſeipſo renouavit? Reſtabat jam Apoſtolis viriſque Apoſtolicis pugna cum dijs, de quibus dixi, Poeticis quos Scena finxit cum Ioue, cum Iunone, cum Minerua, cum Marte, cum Mercurio, cum Apolline cæteriſque dijs deabuſque theatralibus: quorum vitia in ſpectantium vitam Scæna tranſtulit. Quamuis prudentiores Ethnici e dicerent ſeſe tamen vnum Deum colere non plures, varijs nominibus vtentes, vt illius vnius Dei in Ioue bonitatem, in Iunone fæcunditatem, in Mineruam ſapientiam, in Mercurio eloquentiam, in Marte potentiæ, in Apolline viuificatricem, & recreatricem quandam vim atque efficaciam colere ſeſe profiterentur. Quod idem à Pontificijs in die ſuis Calendis dici ſolet, ſe Deum vnum in illis colere, præſertìm in beata virgine, quam vt Deo, Cœli Reginam, vt vetere pagani colunt Chriſto Regi Cœli proximam, vt hic Ioui Mineruam, nam cum ab illis omnia tribui chriſto videntur, vt Ioui à paganis.

Quippe nil maius generatur ipſo,
Nec viget quicquam ſimul aut ſecundum,

tamen ad extremum idem tribuitur ab illis ſanctæ Mariæ virginis, quod à paganis Mineruæ,

Proximos illi tamen occupauit
Pallas honores.

Nimis iſta certè niſi bene veterem paganiſmum videntur. Erat iſta quidem mortifera Apoſtolorum eorumque qui illis ſucceſſerunt patrum cruenta dimicatio cum Philoſophis, cum Politicis, cum Poetis, vt falſos illorum Deos, id eſt, falſas de Deo opiniones inveteratas ac peni-

tùs inſitas ex illorum Scholis Curijs, Scœnis, adeoquè ex Templis, atque animis extirparent: vi tamen verbi, & virtute Spiritus Chriſti, id, libet ipſi plerunque in certamine caderent, effecerunt, vt Eccleſia Chriſtiana ex ipſorum planè cineribus, quaſi Phœnix reviſceret.

Graues fuerunt iſtæ duæ Chriſti & Apoſtolorum, & patrum concertationes cum Iudæis & Paganis: grauior autem fuit poſtea cum hæreticis. Nam cum Chriſtus Eccleſiam ſuam natam Hieroſolymis, peregrinantem verò per Græciam, tandem in Latium induxiſſet, eique Romam ſedem ac domicilium ſtatuiſſet, primi Pontifices ſanctiſsimi Martyres eam perdiu conſeruarunt, vt caſtiſſimam Virginem, quemadmodum eam vocat Irenæus: donec hæretici cum aliundè tum ex ipſorum ſucceſſoribus exorti, quos ante attigi complures, Arrius, Marcion, Eutiches, Neſtorius, Pelagius cæleſtem illam, ah nimis jam neglectam Virginem conſtuperarunt, id quod poſt obitum Apoſtolorum futurum prædixit Egeſippus. Arrius qui Chriſtum verum negabat eſſe Deum, Marcion qui verum negabat eſſe hominem, Eutiches qui naturam diuidebat, Neſtorius qui vtramque confundebat, Pelagius qui Chriſti, quem Deum & hominum confitebatur, ſaluificam gratiam obſcurabat: quas hæreſi Chriſti Spiritus in quatuor illis primis œcumenicis Concilijs Nicena prima, Epheſina prima Conſtantinopolitana, & Chalcedonenſi, excepta Pelagiana hæreſi quæ nondum nata eſt, ita reſtrinxit, vt earum tamen poſt Carbones moleſti ſemper exiſterent.

Ex quibus tandem grandis ille, compoſitam illam ſuam conflauit hæreſin Antichriſtus, qui maligni aliquid ſumpſit a ſingulis, & multum addidit de ſuo. Qui progreſſu temporis Epiſcopus primum, deinde Reges, poſtremò Concilia Majeſtati ſuæ paſtoritiæ ſubjugavit, doctis & pijs palam vbique ſemper reclamantibus, quos ille conniven te Regum lenitate maximam partem occidit, vt Huſsium & Hieronymum in Conſtantienſi Concilio. Donec tandem, cum Leo decimus rugiret vt Leo Deus optimus

ma-

maximus ſuo tempore Martinum Lutherum excitauit in quo Spiritus Chriſti, & vno & infirmo fraterculo totum Papatum oppugnauit, pœne dixerim, expugnauit, niſi quod alijs ſuis ſeruis viris Dei præſtantiſsimis Zuinglio, Caluino, Martyri, Bucero, Cranmero, Ridleio, Latymero, ceteriſque Ducibus noſtris perficiendum reliquit aliquid, quod ab altero eſt omiſſum. Iam verò iſta Palingeniſia Eccleſiæ Chriſtianæ, & quædam quaſi è Sepulchro reſurrectio à Chriſti Spiritu promiſſa, *Ap.* 10. Chriſti Spiritu effecta eſt per hoſce diuiniſsimos homines, qui partìm precando, partìm concionando & ſcribendo, partìm fortitèr moriendo Eccleſiam Chriſti à Romano Antichriſto jamdiù miſerabiliter oppreſſam & ſepultam reſuſcitarunt & in clariſsimis Europæ Regnis rebuſque publicis florentem reliquerunt.

Tanta molis erat Chriſti ter condere gentem.

Iam vt Chriſtus vnicus fundator Eccleſiæ Chriſtianæ, ſic Chriſtus vnicum eius fundamentum vt D. Paulus docuit 1. *Corin.* 3. *verſ.* 11. Non Petrus ſed Chriſtus. Petrus architectus & quidem præcipuus: ſed Chriſtus fundamentum. Chriſtus in Prophetico atque Apoſtolico fundamento fundauit Eccleſiam, in ſeipſo igitur, quod Prophetæ & Apoſtoli poſuerunt, & in quo ipſi ſuperſtructi ſunt, vt docet Paulus *Epheſ.* 2. 20. In ſeipſo, inquam non in Petro in ſeipſo confeſſo, non in Petro confeſſorem, Chriſtus ſolus eſt petra, Petrus quilibet Chriſtianus, vt loquitur Auguſtinus: qui Chriſtum inducit ſic loquentem ad Petrum. Non ego me ædifiabo ſuper te, ſed te ædificabo ſuper me, ſuper me Dei filium æternum: non ſuper te, hominem mortalem: ſuper me ſanctorum ſanctiſsimum, non ſuper hominem peccatorum, & à ne viri poſt Sathanam appellatur. Nam quod aiunt fundatam Eccleſiam in Apoſtolico fundamento *Epheſ.* 2. 20. ergo in Petri perſona, non ſequitur. Nam tum quot Apoſtoli, totidem perſonalia fundamenta. S. Iohannes vocat Apoſtolos fundamenta ratione doctrinæ, cuius anteà rationem reddidi. Sunt igitur multa fundamenta, vt ita dicam, doctrinalia, vnicum perſona-

Rhemenſes in 2. Eph. verſ. 20.

ſonalem quod jam poſitum eſt, vt ait Apoſtolus, Ieſus Chriſtus: cuius virtute ſolius fulcitur Eccleſia, ideo vt lapjs ſummus in angulo, qui duos populos Iudæos & Getiles, quaſi duos parietes, conjungat, ſic imus in fundamento dicitur, quod totum ædificium coagmentet atque ſuſtentet: quatenùs adeo factus eſt credentibus ſapientia, juſtitia, ſanctificatio & redemptio, vt ante ſcripſit Apoſtolus 1. *Co. verſ.* 30. quem locum Apoſtolus ex nono Ieremiæ ſumſit, vt omnes ſapientes, diuites, & potentes à vana ſuæ ſapientiæ opulentiæ, potentiæque opinione traduceret, quo omnem fiduciam ſuam gloriandique materiam in Chriſto domino ſuo ſolo collocarent. Vt D. Petrus *cap.* 20. ex Eſaiæ vigeſimo octauo ſumit inſigne illud ſuum de Chriſto teſtimonium quod Deus pater dedit. Ecce pono in Sione lapidem angularem electum, precioſum, fundamentum fundatum, & quiſcunque crediderit in eum non confundetur. Non ſe fundamentum, ne ſecundarium quidem prædicat, vt impiè Bellarminus: ſed Chriſtum fundamentum Eccleſiæ fundatum prædicat: ſe lapidem viuum in fundamento ſuper ſtructum Chriſtum ſolum lapidem angularem precioſum, & fundamentalem in quo omnis noſtra fiducia ponenda eſt.

Ergo ne falſum Chriſtum pro vero, falſam Eccleſiam pro vera ſumamus jubet ipſe Chriſtus, vt Scripturas ſcrutemur Canonicas quæ ideo Canonicæ dicuntur, quia perfectum Canonem fidei morumque, continent. Tradunt enim omnia cum principia doctrinæ, tum precepta vitæ Chriſtianæ. Scrutamini Scripturas, inquit ad populum Iudæum, cum cum ne litera quidem extaret Noui Teſtamenti: veteres igitur intelligit. Nam in illis vitam æternam putatis vos habere, & illæ ſunt quæ teſtantur de me. Ille verum demonſtram Chriſtum, veram Eccleſiam. Quis vnquam Apoſtolus Chriſti mortem magis depinxit ad viuum, quam Eſaias Propheta *cap.* 53. Nos putauimus eum percuſſum à Deo, & humiliatum. Sed certè noſtras ille infirmitates tulit; ille noſtros portauit dolores, propter noſtras tranſgreſſiones vulneratus, fractus propter noſtras ini-

qui-

quitates, caſtigatio pacis noſtræ ſuper eum, & liuore eius ſanati ſumus. Deus poſuit ſuper eum iniquitates omnium noſtrorum, ita domino placuit eum conterere: ruſſus, inquit, ſervus meus notitia ſui juſtificabit multos. ô verè Euangelicam Prophetam. Nec minùs viues coloribus mortem Chrſti Propheta Daniel delineauit *cap. 9.* Meſsias occidetur, & non propter ſeipſum, ſed vt finiat impietatem, vt obſignet peccata, vt reconciliet iniquitatem, & vt juſtitiam inducat æternam. Vndè etiam Propheta Ieremias eum non modo juſtum ex Dauidis familia germen, ſed æternam Iehouam noſtram juſtitiam appellat, vt Paulus exponit omnes, Chriſtum nobis factum eſſe juſtitiam à Deo. Chriſtus juſtitia noſtra tripliciter, dicitur, efficienter, exemplariter, imputatiuè; efficientèr quo ſpiritu ſuo in nobis, & nec nos juſtitiam operetur. Exemplaritèr, quòd & in vita & in morte ſua perfectiſsimum omnis virtutis obedientiæq; nobis exemplar proponitur: imputatiuè quod nobis ſuam & actiuam legis & paſsiuam crucis obedientiam coram Deo, ad juſtitiam & vitam æternam gratis imputet, quam & Prophetæ & Apoſtoli potiſsimum intelligunt. Eſt enim illa juſtitia quaſi fons, vnde omnes ſanctitatis riuuli dimanant. Quam ſi veteres Scripturæ tam efficacitèr explicarent, veteres & noui quantò efficaciùs explicabunt. Quod Scripturæ ſanctæ verum nobis demonſtrent Chriſtum, veram certè demonſtrant Eccleſiam. Chriſtus autor Scripturæ, Scriptura fundamentum Eccleſiæ, vt docet Paulus. Quod autem conſtituit Eccleſiam, id verè demonſtrat Eccleſiam. Scriptura eſt Eccleſiæ cauſa conſtituens. Ergò nota demonſtrans, vt præclarus reuerendiſsimus pater ante diſſeruit. Scriptura ſumit ſuam authoritatem à ſpiritu, qui eam inſpirauit: non ab Eccleſia, quæ accepit; ſua igitur Scripturæ authoritas conſtet, neceſſe eſt priuſquam extet Eccleſia: nam ſi ratio rectè ponat, fulciri à fundamento ædificium: Religio rectè inde concludit, quòd veritas conſtituat Eccleſiam, non Eccleſia veritatem. Nec tamen ergo, Eccleſiam Chriſti Spiritu è Scriptura ſemel inſtructam, vt mulierem Samaritanam poſſe Chriſto te-

teſtimonium dare, alioſque ad Chriſtum adducere. poſſe homini jam infideli ſanctam de Chriſto eiuſque Scriptura opinionem, magnamque reuerentiam injicere, quæ fides bonæ ædueationis dici poteſt, & fides acquiſita à Scholaſticis dicitur: ſed plerophoriam illam, qua certe credas Chriſtum eſſe Chriſtum, & Scripturam eius eſſe Scripturam, non habes niſi à Spiritu ſancto, qui quemadmodum Paulo verbum reuelauit, vt ſcriberet, ſic cor Lydiæ purpuriſſæ aperuit vt crederet, quæ fides ſanere inſpirationis, & fides infuſa appellatur. Quemadmodum Samaritani quam mulieres voce excitati veniſſent ad Chriſtum, poſtea quam Chriſtum audiſſent, reſponderunt, credimus iam, non quia mulier dixit nobis, ſed quoniam audiuimus ipſum. At ſenſus Scripturæ ab Eccleſia ſumendus eſt. Minimè verò canon eſt & textus & commentarius. Nec tamen infitias eo, Eccleſiam eſſe Scripturæ interpretem, ſed ex Scriptura, vt judex legem interpretatur, ſed ex lege. Sed maledicta gloſſa quæ corrumpit textum. Rectè Hilarius, referendum è textu dixit eſſe ſenſum ſuum, non inferendum in textum alienum. Nec malè Cajetanus ſiquis, inquit, inciderit in ſenſum textui, conſentandum quamuis à torrente doctorum alienum, ne repudiet. Sed caſtigatus à cenſoribus Cardinalis, quòd tam liberè pro Scriptura loqueretur: cuius oracula non ſunt ædita, tanquam ænigmata, vt reſponſa dæmonum eſſe ſolebant, quò nos vel ambiguitate fallerent, vel obſcuritate torquerent. Multa fateor in illis eſſe difficilia & obſcura, vt noſtræ ſatietati occurreret Deus. Multa facilia & perſpicua, præſertim ad ſalutem pertinentia, vt pijs votis ſatisfaceret: vno nec nimis citò inuenta vileſceret ſalus, nec animus nimis anxiè quærendo langueſcerit. Sed Scriptura ſancta, vt probaui ſupra, fidei morumque regula perfectiſsima: vt mirarer Cardinalem Perronium emiſiſſe libet, tum in vulgus inſcriptum de inſufficientia Scripturæ ſanctæ. Rident Philoſophi, ſi librum legerent inſcriptum de inſufficientia lucis in Soli. Doluerunt Theologi, cum librum legerent, inſcriptum de inſufficientia Scripturæ ſanctæ. Ineptum eſt dicere eſſe pe-

penuriam lucis in globo ſolis, & non eſt impiam penuriam
lucis Scripturæ ſanctæ à Cardinali imputari? Eſt igitur
Scripturæ ſanctæ authoritas independens, ſenſus inhærens,
doctrina ſufficiens. Loquitur Chriſtus in Scriptura, loqui-
tur etiam in Eccleſia. Sed ſine errore ſemper in Scriptura,
non ſine errore ſemper in Eccleſia. At Eccleſia eſt colum-
na veritatis, vt ſupra dictum certe, ſi Scripturæ veritati
fundetur. At promiſſus eſt Spiritus, vt ducat Eccleſiam in
omnem veritatem, ſed pro modulo recipientis. Porrò non
vt aliam veritatem exprimeret; quam ſcriptam, ſed vt illam
omnium animis imprimeret ergo Scriptura prior tempore,
clarior lumine, maior authoritate quam Eccleſia: quæ cum
à Scriptura ſuam naturam lumen prærogatiuam accepit;
eum demum veritate quaſi columna, præfert terræque
incolis oſtendit. Sed cum Eccleſia fundamento ſuo ſemel
exciderit, deſinit eſſe Eccleſia, domus Dei, columna veri-
tatis, ſponſa Chriſti incipit eſſe domus idoli officina
mendacij, meretrix Antichriſti. Id quod eodem loco aper-
tè prædixit Apoſtolus futurum, vt multi extremis tempo-
ribus à fide, & à veritate deijcerent: attendentes ſpiritibus
errorum & doctrinis dæmoniorum, mendacia loquentium
in hypocryſi, habentium cauteriatas conſcientias prohi-
bentium nuptias, & abſtinentiam à cibis imperantium, vt
1. *Timoth. 4. verſ.* 1. 2. 3. Diuus Paulus 2. ad *Th.* 2. genera-
lem Apoſtaſiam fore pronuntiaret: hic ſeipſum exponit, &
ait eſſe Apoſtaſiam à fide, cuius dux & ſignifer Antichri-
ſtus. Non igitur intelligit defectionem pronunciarum à
Romano Imperio, ſed Chriſtianorum à fide Ieſu Chriſti:
At hæc eſt, inquiunt, Lutheranorum defectio ab Eccleſia
Romana. Apoſtolum percontemur, & illic duabus notis
Apoſtaſiam inſignit, prohibitione nuptiarum, & indictio-
ne abſtinentiæ à cibes, quos Deus &c. quas ille doctrinas
dæmoniorum appellat. At Marcionem, & Tatianum A-
poſtolus perſtringit, qui nuptias vt immundas, vt cibos, vt
malas creaturas condemnabant. At id illi fecerunt in aper-
ta blaſphemia: Apoſtolus eos attingit, qui in occultu hy-
pocriſi, nuptias, ciboſque vetuerunt. Vt Romanus Anti-

christus qui nuptias quibuſdam, vt Sacerdotibus omni tempore cibos omnibus aliquo tempore, Religionis & conſcientiæ cauſa interdicit. Egregius hypocrita, qui cælibatu coacto infandam Cleri ſui immundiliem tegit, vt videatur modo venerabilior: & interdictis carnibus immenſam deliciarum ingluviem occultat, vt putetur tantùm abſtinentior. Omnino cælibatum Sacerdotibus ſuadet ſpiritus, non imponit, ſuadet iis, quibus donum continentiæ datum eſt, non imponit omnibus, quibus non eſt datum: tyrannicam igitur legem Antichriſtus imponit Clero, dum illi negat legitimam coniugem: quam Paulus permittit: ſed ſentinam impuritatis infundit in Eccleſiam, dum pecunia redemptam permittit Concubinam, vt ſolet, quam Scriptura condemnat. Vnde tot Paparum, Cardinalium, & Sacerdotum aliorum ſpurij orbem Chriſtianum defædarunt: vnde tot ingenuas & honeſtas familias inquinarunt: vt Pius ſecundus Pontifex Romanus mali experientia doctus palàm dixerit, multas ſe videre cauſas, cur Sacerdotibus, vxores adimerentur, ſed plures eſſe rationes, cur illis redderentur. Sed Apoſtolus diuina mente longè proſpiciens prohibitionem nuptiarum fore malorum ſcaturiginem, quæ Eccleſiam deturbarent, ſpiritus errorum, & doctrina Dæmoniorum vocauit, quæ illas ſub hypocritica ſpecie ſanctitatis interdicerent. Sic & abſtinentiam à cibis omnibus tam piſcibus delicatis, quam carnibus: & è vinis & dapibus omne genus opiparis ſuadet ſpiritus, vt orationi & mortificationi vacemus, ſed non ita injungit, quaſi eſus piſcium aut placentarum, ſanctiores pureoreſque homines faceret, quàm eſus carnium moderatus: videntur igitur hæ duæ Apoſtolicæ notæ ita clare, ita manifeſtè Apoſtaſiam Eccleſiæ Romanæ modernæ ante omnium oculos proponere, vt ſuam defectionem ab antiqua fide, & à Primitiua veritate, quam Eccleſia Primitiua, quaſi argentea columna ſuſtinuit, negare non poſſit. Vnde ſic ex Apoſtolo aduerſus Eccleſiam modernam argumentabor. Eccleſia domus Dei eſt colum-

na

na veritatis Eccleſia Romana non eſt columna veritatis, ſed erroris & dæmoniacè doctrinæ, non eſt igitur Eccleſia, domus Dei.

Sed hanc ego cauſam Collegæ meo Richardo Luceti fuſciùs diſceptandum relinquo, qui Romanæ Eccleſiæ & originem & defectionem dilucide demonſtrabit. Intereà tot Eccleſias, Transmarinas ad Scripturæ ſanctæ regulam reformatas, intra quas cienniam Romani Pontificis aſtu & ſæuitia miſerè deformatas & euerſas non deplorare non poſſum. Nam ſi Ieremias oculos ſuos fontem eſſe lachrimarum optauit, quibus vnius vrbis Hieroſolyme, excidium defleret: quos riuos non lachrimarum, ſed ſanguinis profundere nos oportet, quibus tot Nobilium Eccleſiarum exequias & funera proſequamur? Quarè à nobis, qui adhuc in tuto ſcimus, ex Christiana ſympathia cum efficaciſsimæ conſolationes adhibendæ, tum ardentiſsimæ precès ad Deum continuò fundendæ ſunt, vt Deus illas reſtituat & recolligat ne nimium dolorem ſeruis ſuis, & ſævum gaudium hoſtibus ſuis offerat. Quas conſolationes & preces Chriſtianus quidam Poeta grauiſsimis verſibus expreſsit.

O quantùm Britonibs, Eccleſia ſancta, fideles
Omnibus ærumnis condoluere tuis?
Lætatur tantis, Anglo papiſta ruinis,
Et capit è veſtris gaudia ſæua malis.
Sed non ſi Ieſuita creat de cautibus illum,
Et Ieſuitiſſa ex vbere Tygris alat:
Nos in fraterno tam ſaxea viſcera luctu
Inq; malis tantis ænea corda decent.
Nam pater eſt nobis Deus vnus, ſpiritus vnus,
Spes vna, atq; vnus Chriſtus, & vna fides,
Omnibus eſt nobis vnum & commune periclum,
Communis nobis omnibus vna ſalus.
Diſpeream ſi non, ſponſa ô chariſſima Chriſti,
Perfodiant pectus tanta pericula meum.

Occur-

Occurrit facies captæ miſerabilis vrbis
Trux, Ieſuitati quam premit ira ducis.
Illic flamma vorax perſuadit tecta, ruentum
Horribilis lapidum fragor vbique ſonat.
Eiulat hic infans raptatus ab vbere matris,
Stuprata hic coram filia virgo patre.
Indicat hinc nummos tortus pater arca ſalutem
Promiſit miſero; ſed dedit arca necem.
Quos hoſtis gladius non inuenit, inuenit ignis.
Non mens, fundendo ſanguine feſſa manus.
Hoſtem ſæpe volunt victores viuere, ſed ſic,
Vt ſe ſæpe miſer ſentiat, ille mori.
Vtq; animam iugulent vna cum corpore, verum
Ante fidem cogunt prodere, deinde necat.
Marcello vicina ſuæ Syracuſa ruinæ
Dicta hoſti lachrimas eliciuſſe ſuo.
Cincto triennali licet obſidione fuiſſet,
Ingenuam nequis læderet, ille cauet.
Ethnicus, iſte ſuis humanior hoſtibus hoſtis,
Quam nunc Chriſticolis Papicolæ eſſe ſolent.
Signa Deum Fabius poſcenti argentea dixit,
Tarento iratos linquere malo Deos.
Per pulchram inuenis mulierem Scipio cepit, *Alluſio cum dote dedit.*
Intactam ſponſo reddidit ille ſuo.
Hoſtis honoratus captis Deuereuxius heros
Gadibus Hiſpano dictus ab hoſte fuit.
Nam licet infeſtam nobis ſubmergere claſſem.
Rem gratam patriæ cenſuit eſſe ſui.
Edixit nequis ſpoliaret templa, domoſue
Vrent, oblatas inueheretur moros:
Seruata Hiſpano poſt pugnam vita, ſacerdos.
Saluus, & incolumis Bibliotheca fuit.
Intactus muliebris honos mundusq; ſorores
Illas aut matres nobilis Angelus habet.
Cui Margaritis contexta monilia magnis
Miles matronis abſtulit, ille luit.

At

At facta cædes atq; vrbs directa, ſed illa
Culpa fuit belli. non fuit illa ducis.
Tam moderata ducis victoria viſo Philippo,
Ut dignis illam laudibus extulerit.
Vix tantum inueni vel in Iſrael, inquit, honorem
Hæretici nunquam cognita tanta fides.
Filia Regis ait, ſi nobis eſſet amicus
Quid faceret, cum ſic, nobilis hoſtis agat?
Parſonius, gentem quamuis antiqua reliquit
Religio, virtus priſtina manſit, ait.
Hæc audita ſibi ſcriptis ſignauit Iberus,
Nobilis ad comitem, ſcripſitq; viſa mihi.
Liuidus eripiet comiti poſt funera viuis,
A iuſto laudem quam tulit hoſte ſuam.
Non Fabius, non Marcellus, non Scipio noſtro
Comior eſt hoſti quam fuit ille comes.
O vtinam noſtris cum proteſtantibus vllus,
Si papiſta gerat, talia bella gerat.
Sed vereor ne ſic, vt perfidus Hannibal olim,
Aut vt nunc dirus prælia Turca gerat.
Nunc furor Oſmundi noſtras diuerberat vrbes,
Nunc in Papicolis punica nota fides.
Humanas quorum Circe Ieſuitica mentes
Abſtulit, vt celet forma retenta lupos.
Fama fidem fecit papiſtas ſæpius ipſos
Ingenuos tantis indoluiſſe malis.
O Deus illuſtres illorum caua, precamur,
Mitia conuertas ferrea corda domes.
Iam leuare graues, Eccleſia ſancta dolores
Quam vellem poſſent vt mea verba tuos.
Quam non mea ſunt, conſolatoria promo
Pauca Dei ſeruis ſuauia verba Dei.
Hic, precor, vt mecum ſtudeant expendere, fructus
,, *Quam ſuaues radix edat amara crucis.*
Clarior in tanto veſtra eſt diſcrimine virtus,
,, *Ex ipſo prodit purior igne fides.*

Regis Hiſpani bicularius Do. Bawni Rich & ſcriptori.

Conſolationes ex verbo dei efficaciſſima oppreſſis dei ſeruis adhibentur.

Iſta

Iſta exemplaris pietas, ſoboliq́; ferenda
Iſte noua ſanguis ſeminis inſtar erit.
" Prælia vos formant ad præmia, Cœlica ſacra
Merces militiæ certa corona manet:
Veſtra Deus celſis inſcripſit nomina Cœlis,
Inſculpſit palmæ nomina veſtra ſuæ.
Quæ manus expunget ſanctorum nomina vitæ:
Quæ ſemel æterna ſcripta volumen habet.
Seruator meruit vitam, Scriptura reuelat,
Spiritus obſignat, poſſidet vna fides.
Num nos decepit Chriſtus? Scriptura fefellit?
Spiritus impoſuit? factane vana fides?
Non ita. Sed Deus ante ſuo de culmine cedet,
Quam fallet ſanctos ſic ſtabilita ſalus.

Qui ſancti, quibus gradibus ad ſanctitatem etiam in hac vita perueniāt, docet Apoſtolus, Coloſſ.

Non nos inuenit ſanctos electio, fecit,
Et fecit gradibus cælitus vſa ſuis.
En Deus omnipotens infenſas Dæmonis arces
Diruit, electos eruit inde ſuos.
Ereptos cæco Sathanæ de carcere, lucens
In Regnum nati tranſtulit ille ſui.

Operatur ſancta trinitas. Pater. Filius. Spiritus S. Fidem & Pœnitentiam.

Tranſlatos natus precioſo ſanguine lauit,
Spiritus & verbi flumine ſparſit aquam.
Sparſam vera fides recipit, parit illa dolorem,
Qui ſanctis lachrimis pectora trita lauat.
Gratia pro vitijs gignit diuina dolorem,
Pugnam cum vitijs excitat ille dolor.

Pœnitentiæ tres gradus, 1. Luctus pro peccato. 2. Lucta cum peccato. 3. Victoria peccati.

Gratia continuat pugnam, dum ſubiugat hoſtem,
Supremum ſed non eijcit ante diem.
" Luctum lucta comes ſequitur, victoria luctam,
" Gratia ſic captum ſola coronat opus.
O vtinam poſſem firmis infigere clauis
Mentibus hæc veſtris dulcia verba Dei.
Altius vnus aget paſtor quam mille ſequantur
Noſtra feruentes ignea verba preces.
Summe pater, cuius proles Eccleſia, cuius
Imperio Cœlum terra, gehenna ſubeſt.

Ecce

Ecce ſoror Chriſti Cœli conſcripta cohæres,
Promiſſam duro tempore poſcit opem.
Te penes eſt Cœlum, Angelico petit agmine cingi,
A te promiſſum quod ſibi ſæpe legit.
Vt vel crudeles armis Cæleſtibus hoſtes
Diſſipet, aut ſanctos colligat in requiem.
Te penes infernum eſt, Illius porta fideles
Ne ſuperet, Chriſti numine freta petit.
In medio terræ eſt, ſequitur pars maxima cuius
Hoſtis ſigna tui, pars tua ſigna minor.
„ Nam plures Natura trahit, quam gratia verum
„ Virtus quam moles dignius edit opus.
Ij Numero vincant, cauſa nos: illa patronis
Defunctis, viuo nititur iſta deo.
Ergo, deus, ſuccurrem tuis, & conſule paucis,
Hinc maior dextræ fama futura tuæ.
Aſpice Nos, ſeruet tua nos clementia, vultus
In nos propitij lumina funde tui.
Incute terrorem te non quærentibus, illis
Eſſe Deum tua te facta ſtupenda probent.
Iſrael vt nouit te, noſcat mundus, in illo
Tu bonus es, ſis ò, magnus in orbe deus.
Priſtina Cæleſtis renoues miracula dextrem,
Impius vt robur prædicet ipſe tuum.
Iuſte deus, fidos ſeruet tua gratia ſeruos,
Infidos hoſtes conterat ira tuos.
O ne differ opem: iunctis tentoria turmis,
Hoſtes ſanctorum diſſociata petunt.
O diffindi Globum diſſeſſu frange malorum,
Qui coniurarunt in tua membra, ducum.
Diſperſaſque tribus Iacobi collige, ſolum
Iſrael vt ſibi te ſentiat eſſe Deum.
O populi miſerere tui, miſerere Syonis,
Quæ gemit extrema preſſa labore crucis.
In noſtris tua ſancta ſonent oracula Templis,
In noſtro ſemper floreat orbe ſalus.

Conſolationibus preces ardentiſſimæ ſubiungantur vt Deus reformatam iam oppreſſam conſeruet Eccleſiam reſtituat & conſeruet precatio Eccleſiaſti c.36. noſitu verſ. expreſſa & ad noſtram tempus accommodata.

Iſta exemplaris pietas, ſoboliq́; ferenda
Iſte nouæ ſanguis ſeminis inſtar erit.
" Prælia vos formant ad præmia, Cælica ſacræ
Merces militiæ certa corona manet:
Veſtra Deus celſis inſcripſit nomina Cœlis,
Inſculpſit palmæ nomina veſtra ſuæ.
Quæ manus expunget ſanctorum nomina vitæ:
Quæ ſemel æterna ſcripta volumen habet.
Seruator meruit vitam, Scriptura reuelat,
Spiritus obſignat, poſſidet vna fides.
Num nos decepit Chriſtus? Scriptura fefellit?
Spiritus impoſuit? factane vana fides?
Non ita. Sed Deus ante ſuo de culmine cedet,
Quam fallet ſanctos ſic ſtabilita ſalus.

Qui ſancti, quibus gradibus ad ſanctitatem etiam in hac vita perueniāt, docet Apoſtolus, Coloſſ.

Non nos inuenit ſanctos electio, fecit,
Et fecit gradibus cælitus vſa ſuis.
En Deus omnipotens infenſas Dæmonis arces
Diruit, electos eruit inde ſuos.
Ereptos cæco Sathanæ de carcere, lucens
In Regnum nati tranſtulit ille ſui.

Operatur ſancta trinitas. { Pater. Filius. Spiritus S. } Fidem & Pœnitentiam.

Tranſlatos natus precioſo ſanguine lauit,
Spiritus & verbi flumine ſparſit aquam.
Sparſam vera fides recipit, parit illa dolorem,
Qui ſanctis lachrimis pectora trita lauat.
Gratia pro vitijs gignit diuina dolorem,
Pugnam cum vitijs excitat ille dolor.

Pœnitentiæ tres gradus, { 1. Luctus pro peccato. 2. Lucta cum peccato. 3. Victoria peccati.

Gratia continuat pugnam, dum ſubiugat hoſtem,
Supremum ſed non eijcit ante diem.
" Luctum lucta comes ſequitur, victoria luctam,
" Gratia ſic captum ſola coronat opus.
O vtinam poſſem firmis infigere clauis
Mentibus hæc veſtris dulcia verba Dei.
Altiùs vnus aget paſtor quam mille ſequantur
Noſtra feruentes ignea verba preces.
Summe pater, cuius proles Eccleſia, cuius
Imperio Cœlum terra, gehenna ſubeſt.

Ecce ſoror Chriſti Cœli conſcripta cohæres,
Promiſſam duro tempore poſcit opem.
Te penes eſt Cœlum, Angelico petit agmine cingi,
A te promiſſum quod ſibi ſæpe legit.
Vt vel crudeles armis Cæleſtibus hoſtes
Diſſipet, aut ſanctos colligat in requiem.
Te penes infernum eſt, Illius porta fideles
Ne ſuperet, Chriſti numine freta petit.
In medio terra eſt, ſequitur pars maxima cuius
Hoſtis ſigna tui, pars tua ſigna minor.
„ Nam plures Natura trahit, quam gratia verum
„ Virtus quam moles dignius edit opus.
ij Numero vincant, cauſa nos: illa patronis
Defunctis, viuo nititur iſta deo.
Ergo, deus, ſuccurrens tuis, & conſule paucis,
Hinc maior dextra fama futura tua.
Aſpice Nos, ſeruet tua nos clementia, vultus
In nos propitij lumina funde tui.
Incute terrorem te non quærentibus, illis
Eſſe Deum tua te facta ſtupenda probent.
Iſrael vt nouit te, noſcat mundus, in illo
Tu bonus es, ſis ô, magnus in orbe deus.
Priſtina Cæleſtis renoues miracula dextræ,
Impius vt robur prædicet ipſe tuum.
Iuſte deus, fidos ſeruet tua gratia ſeruos,
Infidos hoſtes conterat ira tuos.
O ne differ opem: iunctis tentoria turmis,
Hoſtes ſanctorum diſſociata petunt.
O diffindi Globum diffeſſis frange malorum,
Qui coniurarunt in tua membra, ducum.
Diſperſaſque tribus Iacobi collige, ſolum
Iſrael vt ſibi te ſentiat eſſe Deum.
O populi miſerere tui, miſerere Syonis,
Quæ gemit extremæ preſſa labore crucis.
In noſtris tua ſancta ſonent oracula Templis,
In noſtro ſemper floreat orbe ſalus.

Conſolationibus preces ardentiſſimæ ſubiungantur vt Deus reformatam iam oppreſſam conſeruet Eccleſiam reſtituat & conſeruet precatio Eccleſiaſti c.36. noſitu verſ. expreſſa & ad noſtram tempus accommodata.

Hic tua pax, requies maneat; tua gloria ſanctis
Splendeat, hic cœli porta ſit vna tuis.
Hic via iuſtitiæ populo ſignata fideli,
Cæleſtis Regni præs ſit & arrha tui.
Audi quas preſſis pro fratribus, optime Ieſu,
Ardentes humili fundimus ore preces.

Sed nunc tempus eſt, vt Filaretem audiamus verborum ambiguitates, quibus hæc de Eccleſia quæſtio ad noſtram perniciem involuta eſt, breuiter, vt ſolet, diſſoluentem.

Tum Filaretes, omnes, inquit, terminos hujus quæſtionis, quæ nunc orbem perturbat, quos curioſa impietas fecit ambiguos, ſi placet, paucis, vt potero, enucleabo, Eccleſia, catholica proteſtans, viſibilis, ſucceſsio, orthodoxa, hæretica, ſchiſmatica, cæteroſque generis eiuſdem. Verba ſunt rerum notæ, vt ait Philoſophus. Eccleſia ἀπὸ τὸν καλειν, quo verbo Demoſthenes vſus eſt ad cœtum ciuium experimendum, qui per cornicinem conuocabantur. Quod ſpiritus ſanctus tranſtulit ad ſacrum cœtum, in quem homines per præcones Euangelij quaſi per cornicines euocantur è mundo in cæleſtem Rempub. quam Eccleſiam appellat, qua de nihil neceſſe eſt me plura dicere, cum collega meus Theogeometra rem illam omne accuratiſsimè diſceptarit.

Iam catholicum quid eſt aliud quam vniuerſale, quod verbum nunquam in textu legimus vel Eccleſiæ, vel fidei adjunctum: catholicas Epiſtolas legimus. Sed catholicam Eccleſiam, catholicam fidem non legimus. Adde quod in textu fideles Chriſtiani vocantur, catholici nunquam. Pacianus qui fidelis cuiuſque nomen Chriſtianum dicit, catholicum cognomen, prima Epiſtola ad ſymproneanum confitetur catholici vocabulum in textu non poſitum, ſed poſt vſurpatum. Videlicet cum Apoſtoli ad ſummam fidei conficiendam conueniſſent, & quiſque ſuum articulum quaſi Symbolum contuliſſet, vnde Ruffinus ſummam illam fidei Apoſtolorum Symbolum appellat, tum Iacobus appoſuit ſuum illum articulum, credo Eccleſiam Catholicam.

Sed

Sed fatente paciano non inuenimus catholici vocabuntur in textu: at Proteſtantis nomen inuenimus. *Acto.20.verſ.* 21. vbi Paulus Apoſtolus ſic affatur Epheſios, quos in ſola Chriſti fidem fundauit, *Eph.2.verſ.8.9.* Nihil a vobis detinui, ſed vos publicè docui, Diamartyromenos etiam atque etiam proteſtans Iudæis & gentibus pœnitentiam erga Deum & fidem erga Ieſum Chriſtum. Participium cum vehementem, tum publicam fidei teſtatione ſignificat: vt poſt Paulus *cap.24.14.* Profiteor tibi, fœlicem alloquens, juxta hanc viam, quam iſti vocant hæreſim, colo patrium Deum credens omnia quæ ſcripta ſunt in lege & Prophetis. Sic & nomen Diamartyromenos, Proteſtans & res proteſtata, id eſt, fides ſola juxta Scripturam, quam Pontificij vocant hæreſim, in textu ponitur. En D. Paulum primum proteſtantem à Spiritu ſancto cognominatum. Ergo poſthac fidelis cuiuſque nomen Chriſtianus, Proteſtans cognomen eſto. Quod quidam in Conuentu Spirenſi, *Anno Dom.*1529. impoſitum reformates primùm non rectè exiſtimant: erat enim impoſitum D. Paulo à Spiritu ſancto, & ijs qui Apoſtolicam doctrinam naſcentem fide amplexiore & opere coram hominibus Deo & Angelis impauidè proteſtati ſunt, vt Germani renaſcentem non minùs intrepidè cum Gallis, & Britannis, & Danis, & Belgis proteſtantur. Certè huius loci vi & luce convicti duo magni Pontificij, alter Anglicanus, alter Luſitanus Divum Paulum faſsi ſunt eſſe Proteſtantem, Petrum verò Catholicum, impiè. Perinde ac ſi duos diuinos Apoſtolos contradictorius Spiritus inſpiraſſet. Luſitanus verò ita ſeriò Paulum Proteſtantem & nomine & fide cenſuit, vt nullo modo legendum diceret ſine Papæ commentario. Vbi jam ſunt, qui nomen Proteſtantis quaſi nouitium contemnunt? & nobis primum in Conuentu Spirenſi inditum eſſe arbitrantur? Nos quidem Chriſtiani ſumus, nec Mariani, nec Petriani, nec Pauleni ſumus: ſed ſolum Chriſtiani ſumus & Chriſti ſolius fidem & cultum cum Diuo Paulo coram hominibus, coram Deo atque hominibus, coram Deo atque Angelis proteſtamur. Concludo breuiter:

ter proteſtans ponitur in textu, Catholicus non ponitur: ergo Proteſtantis nomen cum antiquius tempore, tum auguſtius dignitate, quam Catholici. Neque tamen nomen Catholici improbamus, ſed jure nobis aſſerimus, & Catholicam Eccleſiam eſſe conſtantiſsimè credimus, id eſt, credimus Eccleſiam, quæ particularis olim fuit Paleſtinæ finibus concluſa, nunc eſſe vniuerſalem, id eſt, Catholicam, totam orbem dilatam: proteſtamur etiam fidem Catholicam, quæ eſt *Catolon* ſecundum totum, id eſt, fidei Canonem & regulam vniuerſalem, id eſt, Scripturam, quemadmodum diuiniſsimus Martyr Iohannes Philpottus ex Auguſtino vocabulum interpretatus eſt, quam idem pater Orthodoxam vocat, id eſt, veram, ſanam & rectam, quemadmodum Orthodoxos vera, ſana, & recta ſectantes definiuit. Eccleſia autem Romana particularis eſt, non eſt igitur Orthodoxa, ergo nec Catholica quoad locum, nec quoad fidem. Vt Iohannes Reynoldus noſter quinta theſi irrefragabilitèr confirmauit. Immo vt Vincentius Lyrinenſis Catholicam definiuit nihil eſſe, niſi quod duobus confirmatur modis primò diuinæ legis au-

Cap. 10. thoritate, deinde Eccleſiæ Catholicæ traditione. Vnde conſtat nullum dogma eſſe Catholicum aut Eccleſiaſticum, niſi ſit Propheticum aut Apoſtolicum, ſi Vincentio credimus. Et fruſtra in Eccleſia requiri Catholicum ſenſum eius dogmatis, quod ipſum nuſquam in Scriptura reperitur. Vnde definit capi tertio, id eſſe Catholicum quod vbique, quod ſemper, quod ab omnibus creditum eſt, hoc eſſe verè propriéque Catholicum. Qua regula quaſi gladio Vincentius multa nouitia fidei Tridentinæ dogmata iugulauit, vt poſt liquido conſtabit.

Hæreſis. Quid Catholicum & Orthodoxum ſit, vidimus: quid *Schiſma.* Hæreticum & Schiſmaticum, videamus. Hæreſis à Roberto Capitone Epiſcopo Lincolnienſi ſic rectè definitur. Hæreſis Græcè, electio Latinè eſt ſententia humano ſenſu electa, ſacræ Scripturæ contraria, palàm docta, pertinacitèr defenſa: propter duos finès, vt addit Auguſtini lucri aut dominij quærendi gratia. Non me latet hæreſim à Romano

mano Pontifice definiri ſententiam non Scripturæ ſanctæ, ſed Synodali, immo Papali deciſioni contrariam. Vter rectius Epiſcopus an Pontifex definierit meliùs in tractatione conſtabit.

Schiſma eſt ſeparatio, vel ſciſſio à recto ordine Eccleſiaſtico, quo veritas Orthodoxa conſeruatur. Duabus enim artibus Sathanas veritatem & ordinem Eccleſiæ oppugnat. Aut enim falſis dogmatibus puritatem Euangelij adulterando diſsidia inter Doctores ſerit, aut vetere Eccleſiaſticam diſciplinam violando ſcandalis Eccleſiam deformat: hoc eſt aut hæreticos excitat, qui nouorum Dogmatum, aut ſchiſmaticos qui publicorum ſcandalorum authores exiſtunt, contrà vel præter doctrinam, quam Apoſtolus Paulus ſcriptam reliquit. *Rom.* 10. hæreſibus vnitas fidei ſcinditur, ſchiſmatibus pax Eccleſiæ laceratur. Vtriuſque mali reus Pontifex Romanus, qui tot Nouitia dogmata procedit, adorationem Imaginum, Tranſubſtantiationem, Realem præſentiam, Miſſaticum Sacrificium, panis adorationem, Sacramenti mutilationem, &c. Deinde vetus regimen in Nicæna Synodo præfinitum *cap.* 60. mutauit, & in manifeſtum tyrannidem cõuertit. Grandis igitur Hæreticus Apoſtata, qui ab antiqua ſede defecerit: & egregius qui Schiſmaticus veterem Eccleſiaſticũ ordinem violaret.

Iam viſibilitas ſignificat vel apparantem exiſtentiam, vel florentem eminentiam. Erat Eccleſia ſemper ita viſibilis, vt exiſteret: non ſemper ita viſibilis, vt emineret. Non ſemper floruit, ſed ſemper fuit. Erat enim tempus cum compulſa à Dracone fugeret in ſolitudinem. *Ap.* 12. & in ſpeluncis ac cauernis deliteſceret. *Heb.* 11. viſibilitas igitur pertinet non ad eſſentiam Eccleſiæ, ſed ad ornatum. vt Collega meus Theobeometra prius obſeruauit. Nam illæ Prophetiæ de futuro Eccleſiæ ſplendore & pulchritudine, non externam & corporalem pulchritudinem intelligunt, quam Eccleſia interdum amittit: ſed ſpiritualem & internam, quam ſemper retinet. Nigra ſum, inquit ſponſa in Cantico, ſed formoſa, ô filiæ Ieruſalem: formoſa ſum intus, vt Tentoria Kedar aut aulæa Salomonis, quibus verbis.

Falſæ Eccleſiæ notæ.
1. Viſibilitas.
2. Vniuerſalitas.
3. Vetuſtas.
4. Vnitas.
5. Succeſſio perſonalis.
6. Infallibilitas.

bis ſignificat, internam ſuam venuſtatem & pulchritudinem ſponſe ſui gratia conſeruari ne excidat, vt vt negligentia ſua, & fratrum ſuorum injuria extrinſecus denigretur. Non eſt Eccleſia, perpetua comes externa proſperitas, externa potius aduerſitas illam ſæpe comitatur: afflictio illam excoquit, fœlicitas corrumpit. Vnde vſu venit vt Eccleſia Chriſti tanquam Luna nonnunquam pleno velut orbe refulgeat, vt in Dauidis Regno refulſit, ſæpe autem obnubiletur, vt loquitur Auguſtinus, multitudine ſcandalorum & perſecutionum, vt ſub Achabo contigit, cum Elias apud Deum Prophetas in Iſraele interfectos, deſtructa altaria, & ſe ſolum relictum quereretur. Erat Eccleſia in vno Abele, vt ait Auguſtinus, in vno Noah, in vno Abrahamo, eiuſque familia, in vno Elia viſibilis, quamuis eſſet Eccleſia plurium electorum inuiſibilis. Reſeruauit, inquit Deus, mihi ſeptem millia qui non incuruarunt genu Baal. Quibus verbis Deus Eliam, & corrigit & conſolatur. Reſeruaui mihi &c. ex ijs erant ſine dubio centum illi Prophetæ, quos abdiderat Obadias: quod ex Obadia auditum Elias præ mærore oblitus, vel forſitan occiſos ſuſpicatus eſt. Reliqui vel ſolum, vel fidem vertere cogebantur. Nam ſi qui forte remanſerunt, ijs aut Barbara Ieſabelis ſubeunda fuit crudelitas: aut ſi quos Obadiæ miſericordia tectos ab authoritate mortis vindicaſſet, eadem eos eſſe funerum Eccleſiæ ſpectatores coegiſſet. Viua imago præſentium multis in Eccleſijs calamitatum. Ac fieri poteſt vt aliqui Nicodemitæ illic extiterint. Nulli vſpiam in ampliſſimo Regno apparebant veri Dei cultores, quia totum Regnum approbare cultum vitulorum & Baalis vno conſenſu videbatur. Solus apparebat Elias verus Dei cultor: in vno igitur Elia videbatur eſſe Eccleſia. Tres faciunt Collegium, vt dicitur, vbi autem duo aut tres in meo nomine congregantur, in eorum medio ſum, ait Chriſtus. Erat igitur Eccleſia, vbi duo in Chriſti nomine congregati. Dualitas igitur, aut Trialitas facit Eccleſiam. Eſt quædam viſibilitas, vbi dualitas, hic in vno Elia videtur Eccleſia, eſt quædam igitur viſibilitas, vbi vel vnitas. Ieſabel ad viuum repræſentat

Falſæ Eccleſiæ notæ.
1. Viſibilitas.
2. Vniuerſalitas.
3. Vetuſtas.
4. Vnitas.
5. Succeſſio perſonalis.
6. Infallibilitas.

ſentat Romanam Synagogam ſanguinariam, & Saul atque Achabus Romanũ Pontificem, qui ſic veros Dei cultores afflixerunt, vt Eccleſiam ad miram paucitatem redigerint. Et vbi illos interemerint, quærunt vbi iam eſt veſtra Eccleſia viſibilis? vt probrum addant ad injuriam. Quid? num vmbras aut ſpectra occiderunt, an homines ſanctos, non modo ſpectabiles, ſed etiam paſsibiles. Niſi meliùs libeat diſtinguere fuiſſe tum Martyres perſequutoribus ſuis viſibilis, non quà ſanctos, ſed quà homines. Actiones Eccleſiæ duæ ſunt internæ, & externæ. Internæ, credere, pænitere, ſperare, amara, & interna vocatio, & æterna electio, origines harum ſpiritualium actionum, externæ, genu flectere ad Ieſum crucifixum, oculos, manus eleuare, verbum prædicare & audire, Sacramenta & Claues adminiſtrare, illæ ſunt inuiſibiles actiones quibus Eccleſia eſt & viuit internè, iſtæ viſibiles, quibus Eccleſia ſe oſtendit atque agit externè. Sed quibus viſibiles? Non Atheis & infidelibus, qui homines genua flectentes ad Chriſtum crucifixum inſanas arbitrantur, quemadmodum in exordio Eccleſiæ, teſte Chryſoſtomo, Aſinina concluſio, ex particulari facto atque extraordinario generalem & ordinarium inferre. Oportet vnum mori pro populo, ne tota gens peccat. In propoſitione Caiphæ duplex ſenſus continebatur, vnus quem Caiphas intendit, expedire, vt Chriſtus occideretur à Iudæis, ne tota natio deſtrueretur à Romanis. Falſus hic ſenſus atque impiùs ab improba Gaiphæ intentione procedens. Alius eiuſdem propoſitionis ſenſus à Spiritu ſancto intendebatur, neceſſarium eſſe, vt Chriſtus ſolus pro mundi ſalute moretur. Hoc Caiphas non intellexit, non intendit: tamen verba erant eiuſmodi, vt aptè huic ſancto Spiritus ſenſui conuenirent. Ita Deus Caiphæ linguam contra Caiphæ mentem gubernauit. Quid iam Romanus Caiphas inde concludit? ſe in cathedra eſſe judicem infallibilem, quia cum Diabolus cor Caiphæ poſsideret, Spiritus Sanctus linguam eius gubernaret, atque ordinaret? At hoc erat ordinarium in Caipham. Minimè. Nam eodem anno teſte *Matth. 26.* judicialitèr pro

Tribunali Chriſtum blaſphemum eſſe pronuntiauit, errauit igitur in Cathedra. Ergò Romanus Caiphas poteſt etiam errare in Cathedra. Quid dico, poteſt? Cum de facto tam impiè, tamque crudelitèr errauerit Chriſtum in ſuis, quaſi Blaſphemum Hæreticum ad mortem millies in illa peſtilentiæ Cathedra condemnando.

Horum igitur verborum, in quibus latent mortis inſidiæ, varijs homonimijs diſtinctè diſſolutis, facilior nobis curſus oſtenditur ad ſoluendam illam importunam quæſtionem. Vbi fuit aliqua viſibilis Eccleſia proteſtans in omni ætate, præſertim ijs ſæculis, quæ ſunt Lutheri ætatem antegreſſa, adeò vt eius profeſſores nominari poſsint ex bonis authoribus reſpondemus, fuit primùm ante Chriſtum incarnatum in Abele, in Enocho, in Noha, in Abrahamo, in Iſaaco, in Iacobo, in Moſe, & in Iudaica Eccleſia, in Dauide in Ezechia, in Ioſia, immo in Iſraelitica Eccleſia, in Elia manifeſtè & viſibiliter, vt occultè & inuiſibiliter in illis 7000. qui non incurnarunt genua Baal, id quod collega meus Doctor Albio euidentiſsimè demonſtrabit. Quemadmodum Eccleſia Romana corrupta, fuit in Caino, in Camo, in Iſmaele, in Eſauo, in Core, Dathano, & Abyramo, in Saule, in Achabo & Ieſabele, & in tota illa Iſraelitica Eccleſia Apoſtatica, id quod ex illius diſputatione conſtabit. Secundo poſt Chriſtum incarnatum fuit in Chriſto & Apoſtolis Hieroſolymæ fuit in Petro & Ignatio Antiochiæ, fuit in Marco Alexandriæ fuit poſt in Barnaba & Paulo Romæ, fuit in Simone Zelote & in Ioſepho Arimatheenſi in Britannica, & ſi Paxonio credimus, fuit hîc in Petro & in Paulo, qui Euangelium in hac nobili inſula ſeminarunt: fuit poſt in hac inſula per annos pluſquam quadragintos viſibilis, vt Foxius in ſuo egregio, rumpantur Pontificij malitiam licet & nobili Chronico declarauit: vt vir vſquequaque doctiſsimus D. Bilſonus Epiſcopus Wintonienſis ſeriem eius ad Bertramum vſque deduxit: vt reuerendiſsimus atque eruditiſsimus Archiepiſcopus D. Georgius Abbatus à Bertramo vſque ad Lutheri tempora Eccleſiæ Reformatæ

pro-

propaginem accuratiſsime deriuavit. Non libet hic immittere falcem in meſſem alienam: tantum mihi liceat pedem ſupplantarem huius procaculæ quæſtionis, vbi nomina, nomina profeſſorum noſtrorum importunè ex bonis authoribus exquirunt. Quæ quod noſtri doctiſsimi viri protulerunt, liberaliter fecerunt potius, quàm neceſſariò. Nam qui noſtrorum deceſſorum corpora concremarint, non eſt dubium quin monumenta combuſſerint, vt omnem, ſi fieri poſſet Eccleſiæ noſtræ quam tam capitaliter odiſſent, memoriam extinguerent. Quemadmodum expurgatorijs ſuis indicibus, linguas plurimorum teſtium exciderunt, qui ſingulis ætatibus Eccleſiæ fideique noſtræ grauiſsima teſtimonia reliquerunt. Et cum hoc tam crudeliter egerint, nunc tam impudenter à nobis. Nomina nomina poſtulant, quæ prius ipſi ex hiſtorijs eraſerunt? Sed fruſtrà, fruſtrà, memoriam Eccleſiæ noſtræ, & crudelitatis ſuæ conati ſunt extinguere: Deus illam conſeruauit, ſic, vt diuini homines plurimos noſtræ Eccleſiæ profeſſores nominare poſsint ex bonis authoribus. Sed quid non poſſent? Num igitur Eccleſia non erat, quia inquiunt nominari? Scribit Lucas Actorum primo tria millia animarum addita Eccleſiæ fuiſſe vna Petri concione, neminem nominat. Nactus ſum hominem, qui audeat dicere Lucas, ego tibi non credam, hos eſſe Eccleſiam, niſi eorum nomina produxeris. Scribit idem Lucas cum D. Paulus Athenis Euangelium prædicaſſet, Dyoniſium Areopagitam, & mulierem quandam nomine Damarim credidiſſe, alioſque cum illis. Habeo, qui clament, nomina, nomina, horum, quos non nominas, aliorum, aut ego Lucas tibi non credam, eos ad Eccleſiam pertinere. Quod ſi Eccleſia ſine etiam ij, quorum nomina diuina celat hiſtoria: quid impedit, quo minùs illi Eccleſia noſtra ſint, de quorum nominibus humana hiſtoria conticeſsit? Præſertim quam aduerſarij noſtri, odio Eccleſiæ noſtræ, ſuæque ſæuitiæ occultandæ ſtudio, vt dixi ſupprimere, decurtare, corrumpere laborarint. Quare quod noſtri homines profeſſores fidei noſtræ

ſingulis ætatibus nominent, id ex liberalitate ſua faciunt, quod illis aduerſarij ex neceſsitate extorquere non poſſunt.

Iam quod Pontifex in extremo glorietur apud te depoſitam veritatem, eamque ab Epiſcopo ad Epiſcopum deſcendentem velut a manu in manum ſibi traditam. Et depoſitum hoc à veſtris poſtulo Proteſtantes, quæro quorum Epiſcoporum manibus tradita ſit vobis veritas iſta quàm vos pætexitis. Qui quaſi per ſaltum ſuprà annum melleſimum ſexcenteſimum reuehamini, vt Manpetatis ab Apoſtolis. Reſpondemus, noſtra non magnopore intereſſe, quorum Epiſcoporum manibus tradita ſit, quum quorum Apoſtolorum manibus ſcripta ſit, intelligamus, qui quod proteſtantes accuſet, quod quaſi per ſaltum ſuprà annam ſexcenteſimum revoluantur, vt veritatem repetant ab Apoſtolis, facit iniquè: qui ſibi vult licere, vt ſcriptam veritatem de ſua ſede depelleret, Proteſtantibus verò non licere, vt pulſam loco, quaſi poſtliminio reuocarent. Qui ſibi probro non ducunt, quod ad originem ſint reuerſi, vt monuit Cyprianus: & reptanti Pontificiorum hæreſi ſaltantem veritatem Dei libentèr anteponunt.

Cicero de Atus. reſponſis. In Senatu Romano cum eſſet quæſtio de reuocanda Religione Telluris inter patres orta, & quidam eam, vt obſoletam excluderent, reſpondit Cicero mortales à Dijs immortalibus nihil vſu capere potuiſſem. Non male, vt Ethnicus, qui ne Telluris quidem, Deæ falſæ Religioni intermiſſæ, vllum tempus præſcribere ſenſit oportere. Quod ille dixit pro reſtituenda Religione Telluris, id nos multò juſtius dicere poſſumus pro Cœli Religione renouanda homines mortales ab immortali Deo nihil vſu capere poſſe. Huius autem Cæleſtis & Apoſtolicæ veritatis fidele Depoſitorium Eccleſiam Proteſtantem jure poſſumus appellare vt apparet imprimis ex Eccleſia Britannica, quam Chriſtianus Poeta quidam graphicè depinxit homini ad

Chri-

Chriſtum conuerſo probroſè obijcerem ſolebant infideles affines aut cognati, quid? Tu credis crucifixo? Tantum abeſt, vt membram Eccleſiæ putent. Ita ne ſecundum externas quidem illas actiones viſibiles quiſquam poteſt Eccleſiam rectè diſcernere, niſi fidelis Nedum ſecundum internas, & quid igitur nos aliud docuit hìc Doctor Gentium, *Rom.* 11. Niſi, vt ſicut ſua tempora cum temporibus Eliæ contulit, quò ſe & alios aduerſus paucitatis ſcandalum muniret: ſic nos ſtatum præſentis Eccleſiæ cum Eliæ & Apoſtoli temporibus comparemus. Eſt enim eadam Dei noſtri conſtanſque in adminiſtratione Eccleſiæ Politia. Obijciat igitur Pontifex reformatis inuiſibilitatem & paucitatem ſuam. Vos inuiſibiles Chriſtiani vbi fuiſtis Vos pauculi quid mundo obſtatis vniuerſo? A nobis Papa, Cardinales, Imperatores, Reges, Principes orbis vniuerſus. Quibus reſpondemus, ſi pauciores Euangelij profeſſores eſſent, quam reuerà ſunt, immò ſi vnus tantum Elias eſſet: & totus contrà mundus Idola Papæ coleret: non plùs tamen multitudo Papiſtarum noſtreæ præjudicaret paucitati, quam multitudo Turcarum paucitati Chriſtianorum præjudicat. Quid alij faciunt ipſi viderint: nos cum Ioſhua reſpondemus, Ego & domus mea ſeruiemus Iehoue.

Non enim vniuerſalitas magis eſt nota veræ Eccleſiæ, quam viſibilitas. Immò verò contrà, grex Chriſti parvus eſt: Ne time, parue grex, inquit Chriſtus. Quia complacitum eſt patri dare vobis Regnum, & alibi, Lata eſt janua, & via, quæ ducit ad exitium, & multi ſunt, qui intrant per eam: ſed anguſta eſt porta & via, quæ ducit ad vitam, & pauci ſunt, qui inueniunt eam, *Matth.* 7. Duas Ciuitates commemorat Scriptura vnam Dei: alteram Diaboli. Duas Eccleſias vocat Propheta, vnam fidelium, alteram malignantium. Odi, inquit Eccleſiam malignantium. Duæ portæ, duæ viæ, vna quæ ducit ad mortem, altera, quæ du- *Vniuerſalitas.*

 cit

cit ad vitam, lata & anguſta. Lata multi, anguſtam pauci ingrediuntur, vt ait Chriſtus. Quærenti mihi cauſas huius rei duæ occurrunt, vna ex diſpoſitione diuina, altera verò ex diſpoſitione humana. Ex diſpoſitione diuina, minor eſt electorum numerus quàm reproborum, vt gemmarum minor eſt copia, quam lapidum. Hoc non miramur in terra, id cur miramur in Cœlo? Electio eſt origo veræ Eccleſiæ, Reprobatio falſæ. Ab illa pietas & probitas procedit per viam efficientiæ, ab hac impietas & improbitas per viam conſequentiæ. Ab illa fides per miſericordem diuinæ gratiæ donationem, ab hac infidelitas per juſtam diuinæ gratiæ ſubtractionem. In vtroque opere Deus agens eſt liberrimus. Author juſtitiæ, ordinator peccati: illam decreuit, hoc permiſit, niſi malis dicere, decreuit permiſſionem peccati. Vt igitur major eſt numerus Reproborum, quam Electorum: ſic major eſt numerus infidelium & impiorum, & improborum, ex quibus malignantium Eccleſia componitur: quàm fidelium, piorum, & bonorum, ex quibus ſanctorum Eccleſia conſiſtit. Adde ex diſpoſitione humana. Adamus diuina generatione rectus, voluntaria degeneratione diſtortus. Adamus igitur ſuis peccati radix, ſuis juſtitiæ Chriſtus. Radix peccati latior & diffuſior, juſtitiæ verò altior & ſublimior. Habet filios natura plures, ſed gratia meliores. At tum maius Adami maleficium, quàm Chriſti beneficium. Minimè, beneficium non numero æſtimandum, ſed pondere. Maius eſt vnum ſeruare, quàm omnes perdere. Donum Chriſti metiendum virtute, non mole. Vnde Eccleſia vera præſtantior, falſa numeroſior.

Hinc maior numerus Turcarum, quam Chriſtianorum, & inter Chriſtianos, maior papiſtarum copia, quàm proteſtantium. Eat jam igitur Pontifex, & ſua, vt ſolet, vniuerſalitate glorietur.

Vetuſtas. At ſuam etiam jactat vetuſtatem. Ita Cainus jactauit ſe Abele ſeniorem. Ita Iſmael ſe natu majorem Iſaaco. Ita Eſavus ſe Iacobo priorem. In junioribus tamen manſit

Ec-

Eccleſia. At errore veritas vetuſtior. Concedo. Ergo veritas Eccleſiæ vt cauſa conſtituens, ſic nota demonſtrans. Non tam igitur veritas antiquitatis, quàm antiquitas veritatis conſideranda nobis eſt. Quam alteri Collegæ meo Franciſco Albioni diſquirendam eſſe intelligo: Itaque paucis attingo.

Vnitas. At jactat Pontifex vnitatem, diceret conjurationem, quid enim aliud quàm conjurauit ipſe cum ſuis contra Chriſtum, contra veritatem? Dulce eſt nomen vnitatis. Sed quis verè Chriſtianus dubitet, veritatem Chriſti ſolum eſſe vinculum Chriſtianæ vnitatis. Non tam igitur veritas vnitatis, quàm vnitas veritatis quærenda nobis eſt, vt inueniamus Eccleſiam.

Succeſſio. Idemque de ſucceſsione judicandum, quam duplicem eſſe didicimus ex Irenæo, vnam doctrinæ & veritatis, quam ille pater principalem ſucceſsionem appellat. Perſonæ & Cathedræ alteram, minùs principalem. Vt rectè etiam Tertullianus non fidem ex perſonis, ſed perſonas ex fide æſtimandas eſſe dicebat. Sed hìc dubito, vtrum Papa Petro ſucceſſerit in ſede. Doceant me, oſtendant ex Scriptura, Petrum vel Romæ fuiſſe, vel Romæ ſaltem Epiſcopum fuiſſe. At neutrum, cum omnia perueſtigarint, vnquam ex textu probare potuerunt. Niſi fortè ille Bellarmine locus accedat, ex ij Petri vltimo, Eccleſia, quæ eſt Babylone, vos ſalutat, id eſt Romæ, vt Bellar. probat ex *Apocalip.* 17. vbi Roma Babylon dicitur. Sed Imperialis, quæ tum ſanctos afflixit, vt exponit Bellarminus, non Pontificalis, vt nos probamus ex contextu, quod ea dicitur negationem animarum exercere, quam Imperialem nunquam exercuit: At Bellarminus Romam vult eſſe Babylonem. Concedo, etinem eſt veritatis plena reſponſio. Sed probationum, vt videtur in textu. Magna penuria, quibus probet Petrum Romæ fuiſſe, qui ad has redigitur anguſtias, vt Petri præſentiam Romæ inde probare non poſsit, niſi Romam concedat eſſe Babylonem. At hìc ſuccurrit vetus pater Irenæus qui non modo Romæ fuiſſe Petrum, ſed Romæ ſediſſe Epiſcopum affirmat. Non negabo, quia

pater affirmat. Non affirmabo, quia Scriptura negat ſaltē in ſpeciem. Octo ſunt enim ad minimū teſtimonia Scripturæ, quibus noſtri probant Petrum Romæ non fuiſſe, nedum Epiſcopum fuiſſe. Dubito igitur, vt dixi, eoque magis quia Irenæus ſcribit Chriſtum anno ætatis ſuæ quinquageſimo mortuum. Qui annum mortis Chriſti præter Scripturam aſſeruit, quidnè Petri præſentiæ Romæ præter Scripturam aſſerere potuit? Bono patri reliqui credebant, & ex eius fide affirmabant. Sed fuerit illìc Petrus. Res eſt non fidei, ſed facti: teſtante non Scriptura, ſed hiſtoria. Sed fuit illìc etiam Epiſcopus inquiunt. Quin potuit? Fuit enim Apoſtolus, non vni aſtrictus Eccleſiæ, ſed cum reliquis præpoſitus vniuerſæ. Potuit Epiſcopum ordinare ipſi Apoſtolus, vt Paulus Timotheum & Titum: ſi igitur Papa ſuccedit Petro, non ſuccedit in munere. Aliud eſt enim Apoſtoli munus, aliud Epiſcopi. Petrus porrò docuit: Papa non docet. Non igitur ſuccedit in Cura. Tonat in Conſiſtorio, non ſonat in Pulpito. Mutus eſt. Decet autem Epiſcopos non mutis ſimiles eſſe, ſed conſonantibus: eſſe primò conchas, deinde canales, primò ſibi ipſis aquam viuam infundere, deinde refundere. Multa cum diſcere, tum docere. Sic Petrus, ſic Paulus factitarunt. Adde, quòd multi Atheoi, multi Hæretici, multi Apoſtatæ in illa cathedra ſederunt, non igitur Papa Petro ſuccedit in fide. Cuius rei probatio longior fratri meo Richardo Luceti deſignata eſt. Quod ſi Petro Papa nec in ſede, nec in munere, nec in cura, nec in fide ſuccedat: qualis tandem ille Petri ſucceſſor habendus eſt? Certè, certè, non ille Petri ſucceſſor, ſed Romuli: quem conſtat egregium latronem, raptorem virginium, fœdifragum, fratricidam fuiſſe: iiſque ſceleribus vrbem, Romam fundauiſſe. In quibus Romulum Pontifex longè vicit. Nam ille latrocinijs, iſte ſacrilegijs creuit: ille ſe raptum virginium, iſte cultu imaginum inquinauit. Ille fœdus humanum ſæpius, iſte diuinum violauit. Ille vnum fratrem, iſte myriadas fratrum interemit. O dignum Romulo ſucceſſorem, qui latronem rapacitate, raptorem virginum impudicitiæ, fœdifra-

difragum perfidia, fratricidam crudelitate ſuperauit.

At ille credo, vt errare non poteſt, ita peccare non poteſt. Habet enim affixam Cathedræ veritatem. Chriſtus, ego pro te oraui (Petrum alloquens) (inquit) Ne deficiat fides tua, quid hoc ad Papam? Sed rem totam expendamus in Petro. Non dixit Chriſtus, non negabis, Petre: ſed oraui, ne deficiat fides tua, id eſt, ne omnino, id eſt, totalitèr euaneſcat. Chryſoſt. in Matth. Hom 85. oraui ne deficiat fides tua, hoc eſt, ne in fine pereas. Chryſoſt. Hom. 72. in Iohan. id eſt, ne fides tua finalitèr extinguatur. Corde tenuit, inquit Gregorius, quem ore denegauit. Beda in *cap.* 22. *Lucæ*, orauit ſeruator noſter pro Petro, non ne tentaretur, ſed ne fides eius deficeret, id eſt, vt poſtquam negatione cecidiſſet, ad priorem ſtatum per pœnitentiam reſurgeret. Et Theophylactus ex Chryſoſtomo ſcripſit in Lucam 11. Petrum, etſi concuſſus eſſet, tamen reticuiſſe ſemina fidei: folia decuſſa eſſe, ſed vixiſſit radicem. Et Auguſt. quæſt. ex nouo Teſtamento quæſtione 75. Chriſtus pro Petro precans pro omnibus eſt precatus, inquit. Quid ambigitur? Pro Petro rogabat, pro Iacobo & Iohanne non rogabat, vt cæteros taceam? Manifeſtum eſt in Petro omnes contineri, quia & alio loco dicit, ego pro ijs rogo, quos mihi dediſti pater, *Ioh.* 17. Oratio igitur Chriſti non modò Petrum, ſed reliquos Apoſtolos omnes, immò reliquos omnes Chriſtianos à deſperatione & impœnitentia, non ab errore conſeruauit. Prædicationem & Scripturam Petri reliquorumque Apoſtolorum poſtquam Spiritum Sanctum accepiſſent, liberos ab errore confitemur: quid num hoc priuilegium Pontifex vendicabit? Hoc priuilegium annexum perſonæ Petri, non ſucceſſori conceſſum. Dices, non perſonæ annexum, ſed officio ne ſucceſſor erret in fide, ridiculè. Cum non minùs de ſucceſſore Pontifice, quam de immunitate ab errore dubitatur.

6. *Infallibilitas.*

At Chriſtus vicarij ſui Cathedram infallibilem voluit eſſe, vt Cathedram Moſis ſub lege veteri: vt *Malachiæ* 2. Labia Sacerdotis cuſtodirent ſcientiam, & legem ex eius

ore requirent. Reſpondetur, non dicit, cuſtodirent, ſed cuſtodient. Nec requiretur, ſed requirent. Promiſsio eſt, non mandatum. Immò verò mandatum eſt, non promiſsio, vt conſtat ex conſequentibus. Sed vos Sacerdotes, aberraſtis à via & multos per legem cadere feciſtis: & fœdus ictum cum leui violaſtis, ait Dominus exercituum. Ergo Moſis cathedra errauit: & Papæ cathedra non errabit. At facta eſt Petro promiſsio, non Moiſi. At promiſsio facta Petro non plus conuenit Papæ, quam alijs Chriſtianis, vt anteà confirmaui: & propriè Papæ conueniret, non tamen ab errore Papam immunem efficeret. At non eſt poſsibile, vt electi ſeducantur. Non eſt poſsibile, vt à Deo deficiant, vt in errore ſuo pereant. Sed quid hoc ad Papam, quod de electis dicitur? quid? an qui errant ſeruari poſſunt? quidni? ſi retineant fundamentum, & ex humana infirmitate potius errent, quam obſtinatione voluntaria. Si vllus deceſſorum noſtrorum vel ignorantia vel ſimplicitate non obſeruauerit illud, quod Dominus exemplo ſuo & authoritate mandauit, eius ſimplicitati per bonitatem Dei poteſt ignoſci, vt rectè Cyp. lib. 2. Epiſt. 3. At malitioſè, obſtinatè, errantibus ignoſci non poteſt, id eſt, Papis Mitra contrà exitialem errorem clypeus eſſe non poteſt: Ingenui Pontificij confitentur multos Pontifices apoſtaſſe à fide, vt Lyra, Alfonſus, Panormitanus, Gerſon, Baſilienſe concilium, Pius ſecundus, Æneas Syluius, Innocentius quartus, & tamen viles aſſentatores Ieſuitæ id præfracte negant. Immò multi Papæ de facto à fide defecerunt. Vt Clementius ſus Marcellinus, Liberius, Honorius, Anaſtaſius, Vigilius hæretici extiterunt. At non cathedra errauit, quamuis perſonæ errauerunt, aut ſi perſonæ, non errauerunt, vt Papæ, aut ſi vt Papæ, non in Cathedra, in Tribunali & Conſiſtorio. Nugæ. Perinde ac ſi virtus Cathedræ poſſet vel ſtultitiam hominis, vel malitiam immutare. Perſonalitèr errare poſſunt, judicialitèr non poſſunt: poſſunt in priuato ſcripto, non in definitiua ſententia. Poſſunt in cubiculo, non poſſunt in Conſiſtorio. Abſurdè, qui probant? Caiphas, inquiunt, juxta priuilegium officij

cij de Chriſto verum prophetabat, quamuis ſecundum ſuam ipſius ſcientiam & fidem, Chriſtum ignoraret. Et cur non Papa idem priuilegium haberet, quod Caiphas & Anas. Balaami Aſinus Domini ſui reprehendit inſaniam: & cur non Aſinus Papæ idem priuilegium obtineret? Caiphas ſemel verum inſciens loquutus in Cathedra: ergo Papa ſucceſſor Caiphæ, vt Rhemenſes cum faciunt, nunquam poteſt ſciens in Cathedra falſam ſententiam dicere?

Deſcriptio Eccleſiæ Britannicæ.

IAm quantam debes, ô magna Britannia, ſummo
Inſula Trin-uni tota dicata Deo.
Non nunc fabellas populus tuus audit inanes,
Verba ſed æterni flammea, viua Dei.
Semina ſancta, alimenta, tuæ medicamina mentis
Queis gignit, paſcit te reficitq; Deus.
Non in depicta defixus imagine quærit
In libro ſimplex tanquam Idiota Deum.
Non ignorato blaterans idiomate fundit
Inſulſo tanquam phittacus ore preces.
Non ſanctos precibus vanis genioſuè fatigat
Sanctorum ſoli ſupplicat ille Deo.
Non credit, ſtultus ceu Carbonarius olim,
Noſcitur in cuius circulus eſſe fide.
Nouit quid poſcat, nouit quid credat, & omnem
Dirigit aſſenſum cognitione ſuum.
Vnde Deo credens verè reſipiſcit, & ipſo
Ex lapſu diſcit firmior eſſe ſuo.
Mens infallibi cæleſtis lumine verbi
Sperat perpetuos irradiata dies.
Diuinaq; fide ſpeq; illuſtrata benigni
Incenſo patris flagrat amore Dei.
Vera fides viuam ſpem, ſpes progignit amorem
Ardentem rectè facta rependit amor.

Æquat noſtra bonis Romanam Eccleſia factis,
Confidit meritis nec tamen illa ſuis.
Sed coram poſtrata Deo ſibi conſcia culpæ
Iuſtitiam ſola poſſidet illa fide.
Illa ſalutari per verbum lota lauacro
Non rea peccati, labe manente manet.
Et ſuperare poteſt, ſed non expellere culpam,
Firmus in infirmo quòd queat eſſe Deus.
Et peccata pijs animis hærentia tradit
Eſſe exercitio, non tamen exitio.
Gratia namq; Dei quamuis non amputat illa,
Non tamen athletis imputat illa pijs.
Qui cum congenitis vitijs confligere pergant,
" Victrix occidit nos caro, victa beat.
Gratia ſic vitij macula remanente reatum
Tollit, at abſoluens innouat illa malos.
" Et quos iuſtitia ſemel induit, imbuit illos,
" Quoſq; fide reputat, re facit eſſe bonos.
Inchoat in nobis cœleſtis ſemina vitæ,
In Cœlo tandem perficit illud opus.
Non ſua fictitijs purgari crimina flammis,
Sed ſolo credit ſanguine, Chriſte, tuo.
Hoſtia Miſſalis figmentum vile, piandis
Victima ſat culpis corporis vna tui.
Vtq; parit tibi ſancta parens Eccleſia natos,
Chriſte, cibo nutrit corporis illa tui.
Nec te de Cœlo Magicis deducere verbis
Tentat, at in Cœlo gens Aquilina colit.
" Viuificamq; tuam carnem docet eſſe fideli,
" Non quia dente terit, ſed quia mente tenet.
" Non caro deſcendit, ſed mens aſcendit, & illo
" Carne tua viuit, quo manet illa loco.
Nec te conatur ſacris includere ſignis,
Nec tamen à ſignis diuidit illa tuis.
Nedum de cruſto confectum credere Chriſtum
Audet, vt affingat corpora bina tibi.

Vnum quod menſæ occumbat conuiua, ſecundum
Quod portes manibus, ſcilicet, ipſe tuis.
Nec pictas offerre dapes credentibus audet,
Res ſacras ſemper copulat illa typis.
Nec ſiccam ſanctis vmbris apponere cœnam,
Sed perfectum epulum ſpirituale parat.
Vt panem Domini reuerenter ſuſcipit ore,
Sic panem Dominum ſuſcipit illa fide.
Hæc ſunt promiſſæ ſignacula certa ſalutis
Hæc ſunt iuſtitiæ pignora vera tuæ.

Proximum eſt nunc, vt Franciſcum Albionem audiamus Eccleſiæ Chriſtianæ Reformatæ originem & ſeriem pertexentem.

Tum Albio, quoniam ita vultis. Iam, ſi placet (inquit) Eccleſiæ Chriſtianæ originem, ſeriem, doctrinam, cultum, indolem, conditionem, ordinem indagemus. Rectum erit index & ſui & obliqui. Aqua aquæ ſimilior non erit, quam Proteſtans Chriſtianus. Ieſus Chriſtus heri, & hodie & idem in ſæcula. Heri ſub vetere teſtamento, hodie ſub nouo. Heri promiſſus, hodiè exhibitus, heri relatus, hodiè reuelatus ſed ſemper idem Ieſus Chriſtus occiſus, agnus ab origine mundi decreto Dei, occiſus ſub mundi finem executione decreti: profuit Chriſtus ante quam fuit. Vt ſcite Bernardus, Eccleſia igitur Chriſtiana conjuncta Chriſto, coæua mundo, electa ante tempus in conſilio æterno, ſeperata in tempore in promiſſo reuelato, in fine temporis ſeparanda in judicio extremo. In Euangelio fundata, quod ab ipſo Deo annuntiatum eſt in Paradiſo, quod erat in lege, vt granum in ſpica, vt rota Ezechielis in rota. Quid eſt enim lex? Euangelium prænuntiatum, quid eſt Euangelium? Lex impleta, quæ illìc facienda prædicuntur, hìc facta prædicantur, vt D. Angelus dixit. Nec plus differunt duo teſtamenta, quoad ſubſtantiam, quàm hæc duo verba, veniet & venit, vt breuitèr & acutè Auguſtinus. Nec alitèr differunt vtriuſque teſtamenti fideles, quam duo Cherubini, qui ſuper Propitiatorum ponebantur, mutuò ſeipſos aſpicientes, alius repræſentans veteres Chriſtianos, qui pro-

proſpectiua fide Chriſtum venturum proſpexerunt, alius nouos, qui reſpectiua Chriſtum exhibitum reſpiciunt: eadem igitur fide ſeruabantur, qua nos vt copioſe diſputat Auguſtinus ex Paulo, eandem eſcam ſpiritualem nobiſcum manducarunt, eandem potum ſpiritualem biberunt, bibebant enim ex petra, quæ illos conſequebatur, Petra autem erat Chriſtus. Nec tamen in Chriſtum verſa eſt, habebant igitur eundem Chriſtum, ſed alijs ſignis & ſacramentis, illis in manna & rupe, nobis in baptiſmo & cœna propoſitum. Vt paulum exponit Auguſtinus. Res Sacramenti illis & nobis eadem, ſed non eadem Sacramenta quemadmodum igitur illi fideles in Sacramentis ſuis Chriſtum ſpiritualitèr & myſticè ad vitam receperunt nondum incarnatum, ſic nunc incarnatum fideles in ſuis Sacramentis ſpiritualitèr & myſticè recipiunt, vt ex Paulo nobiſcum antiquiſsimus pater ille concludit. Illorum Sacramenta Chriſti paſſuri figuræ & vmbræ, quas cedere veritati & corpori oportebat, vt ait Paulus: noſtra iam memorialia poſsi. Ita vetus teſtamentum fundamentum noui, nouum veteris complementum. Nulla inter vetus & nouum, inter veteris & noui fideles differentia, quoniam ſubſtantiam: tactum quoad accidentia differunt claritatis & latitudinis quòd Sol juſtitiæ nobis ortus Ieſus Chriſtus clariùs affulſerit, radioſque Majeſtatis & miſericordiæ ſuæ latiùs diffuderit.

Iam hoc poſito fundamento inueniemus originem Eccleſiæ Chriſtianæ in Chriſto ter ſeparatam à Deo ex fæce generis humani, primum ante tempus in æterno conſilio, *Epheſ.* 1.4. vt crederet ſanctaque eſſet, non quia crederet, ſed vt crederet: non quia ſanctum eſſet, ſed vt eſſet ſancta, quemadmodum Paulum exponit Auguſtinus. Deus enim non dignos eligit, ſed eligendo dignos facit. Non igitur fides & ſanctitas cauſæ electionis, ſed electio fidei & ſanctitatis. At nemo electus niſi in Chriſto: nemo autem in Chriſto, niſi quà fidelis. Certè, Nemo electu, niſi in Chriſto: & fidelis electus in Chriſto, non quia tum fidelis exiſteret, ſed vt exiſteret: erat tum quiuis fidelis in Chriſto, ſed

ſed vt arbor in ſemine, non actualiter, ſed virtualiter: virtualiter tum per prædeſtinationem, actualiter poſt per fidem. Non igitur noſtra fides & ſanctitas, quæ ſunt electionis effecta, cauſæ mouentes cur nos Deus eligeret in Chriſto: ne conditiones quidem præuiſe, vt quidam ex Diuo Paulo perperam colligunt, cum dicit *Theſſalon.* à Domino electos ad ſalutem in ſanctificatione Spiritus & fide veritatis. Non enim ponit ſanctificationem & fidem vt conditiones præuiſas electionis antecedentis, ſed vt præordinata media ſalutis conſequentis: vt occultæ prædeſtinationis indicia & futuræ fœlicitatis præſagia, vt acutè pièque Bernardus. Electa igitur Eccleſia vt ab Apoſtolo definitur, *Heb.* 12. profert opera ſancta, non vt cauſas regnandi, aut precia Cœli, aut merita ſalutis, ſed vt vias Regni, prooemia Cœli, electionis germina, ſalutis ſigilla, & gradus quoſdam & ſcalas, ſine quibus nemo vnquam poteſt ad Cœli gloriam aſcendere. Quarè qui ſancta opera negligentes tamen ſeſe electos ſomniarent, perinde facerent acſi ſuaſu Diaboli ſeſe proijcerent à templi pinnaculo per præſumptionem, expectantes, vt Angelorum manibus ſubleuentur per prædeſtinationem, vt piè Iohannes Philpottus.

Hæc eſt à Deo prima Eccleſiæ ſeparatio in Chriſto facta in arcano Ioh. & æterno conſilio: quæ primò fit, ſed poſtremò patefit, vt rectè Bradford ſequitur. Secunda in promiſſo reuelato; quæ nihil eſt aliud quam electionis reuelatio & exequutio, cum illa promiſsio primaria in Chriſto facta, Semen mulieris contereret Serpentis caput, fide recipitur. Erat autem Euæ facta, vt typo Eccleſiæ, non vt vni, ſed vt vnitati. Non vt matri viuentium, ſed vt matri credentium: non vt mulierem ſpeciali aliquo priuilegio ſupra virum inflaret, ſed vt illam primam peccatricem neceſſario ſolatio à deſperatione retineret. Facta, inquam, Eccleſiæ Chriſtianæ, non illimitatæ vniuerſalitati omnium hominum ſed limitatæ vniuerſalitati omnium credentium. Non in mulierem, ſed in ſemen mulieris, fore, non vt ipſa, ſed ipſum Serpentis caput contereret, vt Divus Paulus ex-

ponit,

ponit, *Rom.* 16. & *Gal.* 3. Chriſtus eſt ſemen mulieris, qui per ſe & ſua virtute contriuit Serpentis caput, id eſt, Diaboli opera deſtruxit, vt Ioh. & omnes qui credentes in eum illius virtute per fidem caput Serpentis, id eſt, vim peccati mortiſque conterunt, in ſancto cenſentur ſemine, reliqui omnes in Serpentino. Non eſt nobis in muliere facta promiſsio, ſed in ſemine mulieris: non in Maria quamuis deipara virgine, ſed in ſemine, id eſt, Chriſto, vt Paulus exponit, *Gal.* 3. Qui nobis ſolus in Scriptura proponitur adorandus.

Verus homo verusq; Deus, virgo ſine patre
Quem peperit, genuit quem ſine matre Deus.

Beatam virginem vaſculum benedictionis agnoſcimus, fontem non agnoſcimus: hunc honorem ſoli nos Dei & virginis filio vendicamus, & Turſellinum Ieſuitam blaſphemiæ condemnamus, qui lac matris cum ſanguine filij in ſalutis noſtræ negotio commiſcendum cenſuit: & Bernardinum in Mariali ſuo anathemate configimus, qui filium in throno juſtitiæ adminiſtratorem diuini iudicij, matrem autem in throno gratiæ diriuitricem diuinæ miſericordiæ collocauit: & Pſalterium beatæ Mariæ, quod expuncto filio matri & nomina, & priuilegia, & acta Chriſti propria vendicamur, vt impium deteſtamur. Nos non Mariani, ſed Chriſtianiſsimus. Nos illam excellentiſsimam virginem non adoramus propter Religionem, quamuis honoramus propter imitationem. Non enim ipſa ſalua facta eſt, quia peperit, ſed quia credidit, non quia Chriſtum geſtauit in vtero, ſed quia Chriſtum geſtauit in corde, vt dixit Auguſtinus, Cuius anima Chriſtum Dominum ſuum ſolum coluit, cuius ſpiritus in Chriſto ſolo ſuo ſeruatore lætatus eſt: in hoc nos beatiſsimam virginem libentèr imitamur: ſed illam vel dulcia, vel hyperdulcia colere non audemus; ne Chriſto Dei & virginis filio gloriam derogemus. In hac igitur promiſsione de ſemine mulieris Serpentis caput contrituro Eccleſia Chriſtiana fundata eſt: & pugnat aduerſus ſemen Serpentinum ſiue ſit extra familiam Adami, vt Mahumetus: ſiue intra familiam, vt Antichri-

chriſtus, quamuis ſuum ab eo ſæpe calcaneum morderi ſentiat. Hæc promiſsio anima Eccleſiæ. Tolle promiſsionem, tollis Eccleſiam. Corrumpe promiſsionem, corrumpis Eccleſiam. Quò certè execrabilior Romanæ Eccleſiæ perfidia videri debet, qui promiſsionem corrupit, & pro ipſo, ſubſtituit ipſam, & vt in internecino bello fieri ſolet, fontem ipſum infecit. Ipſa, inquiens, conteret Serpentis caput, intelligens beatam Mariam. Cui Ieſuita Coſterus trophæum erexit conculcandi, conterendique Serpentis cum hoc emblemate, Conteret caput tuum, & quamuis fons Hebraicus, Chaldaica, Paraphraſis, Septuaginta interpretatum tranſlatio, Hieronymi verſio. Quamuis Leo Pontifex, multique Pontificij veritatem Hebraicam approbent, & ipſum vel ipſe ponant: & Ribera fateatur ipſa non profectum à tranſlatore, ſed culpa ſcribæ in textum irrepſiſſe, tamen Eccleſia Romana corruptionem in textu retinet, vt Sixtus quintus in authentica editione vulgatæ verſionis publicata anno 1590. & ſic Canonica authoritate ſua confirmat errorem ſcribæ: & Clemens Octavus in ſua poſt editionem, ipſa retinuit, in textu: vt egregios ſeſe diuini teſtamenti corruptores moderni Pontifices oſtenderint, qui nomen Filij Dei raſerint è teſtamento, & matris nomen ſubſtituerint. Perinde ac ſi Deus Eccleſiæ non Redemptorem, ſed Redemptricem conſtituerit, eamque non Chriſtianam, ſed Marianam voluerit appellari. Nos quidem certè in hoc verbo promiſſorio, Ipſe conteret Serpentis caput, vel ipſum ſemen conteret, toti recumbimus: nec in Paradiſo viuere vellemus ſine hoc verbo promiſſorio, quod Romanus Antichriſtus tàm imbrobè, ſceleratèque corrupit, vt Chriſtum de throno Eccleſiæ ſuæ deturbaret, quocum tamen vt familiares exerceat inimicitias, ambire gratiam Mariæ matris honoratum famulitium in opprobrium filij videtur oſtendere. Erat jam Pontifex & ſe Mariæ cultorem eſſe glorietur. Porrò vt Deus in Chriſto primum ab æterno electos à reprobis ſeparauit in arcano conſilio, deinde in ſemine mulieris poſt creationem & lapſum in tempore ſeparauit ſemen ſanctum à ſemine Ser-

pentino in promiſſo reuelato, ſic idem Chriſtus homo judex in exitu mundi oues ab hædis ſeparabit, dicens ouibus à dextris, venite benedicti patris mei, hæreditatem cernite Regni vobis præparati ab origine mundi. Nam vt gratis elegit Eccleſia Deus ſic gratis coronabit. Regnum Cœli Dei miſericordia præparatum ſuis ab æterno, non in tempore hominum meritis acquiſitum. Ne time, inquit Chriſtus, parue grex, quia cōplacuit patri dare vobis Regnum. Illic benedictis à patre Regnum, ouibus præparatum dicitur: Hìc ex beneplacito patris dono datum. Ideoque vocat Regnum: non ſtipem ſeruorum, ſed hæreditatem Filiorum, non ſtipendium, ſed patrimonium, non ſpirituali obedientiæ debitum, ſed datum ſpirituali geniture, vt Chriſto conſentiens Auguſtinus quemadmodum Divus Paulus illi præierat, qui cum de peccato & juſtitia diſſeruiſſet, argumentum illud à contrarijs eliſit, propter mala opera damnamur, ergo proptèr bona opera ſeruamur. Sic enim breuitèr Apoſtolus; peccati ſtipendium mors. Quid? Num juſtitiæ ſtipendium vitam dixit? Minimè ſed Logica multò meliore vita æterna donum Dei eſt per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum. At idem Apoſtolus inquies, Cum bonum certamen certauiſſet, fidem ſeruaſſet, curſum conſummaſſet dixit, Nunc repoſita eſt mihi corona juſtitiæ, quam mihi iuſtus iudex dabit, nec mihi ſolùm, ſed ijs etiam omnibus, qui Chriſti aduentum diligunt. En vita æterna corona juſtitiæ dicitur certè reſpectu Chriſti, qui meruit, ſed corona miſericordiæ, reſpectu noſtri, quibus meruit, vt ſeipſum exponit Apoſtolus non propter opera juſtitiæ, quæ nos fecimus jam vocati, quia fidelem Titum, ad quem tum ſcripſit ſecum incluſit, ſed per miſericordiam ſuam Deus ſeruauit nos, ita ſemper miſericordia Dei hominum meritis opponitur. At juſtus judex dare dicitur rectè. Nam promiſerat, & ita fidem ſeruantibus ſe fecit debitorem, eſto fidelis, inquit, ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ, & vtrobique dicitur non ſoluet aut ſoluam: ſed dabit, & dabo coronam vitæ. Non igitur ex valore humani meriti, ſed ex virtute promiſſi diuini corona donatur.

Qui-

Quibus autem? Non hædis ſed ouibus, non hominibus immiſericordibus, ſed opera miſericordiæ facientibus, vt Chriſtus: non otiantibus, aut malum perfidiæ certantibus, ſed bonum fidei certamen certantibus, & curſum conſummantibus, vt Paulus: operantibus igitur, ſed non propter opera: laborantibus, ſed non propter labores. Quomodo igitur, inquies, illud celebre dictum Auguſtini cum hiſce quæ dicis reconcilias? qui te fecit ſine te, non te ſeruabit ſine te. Ita nimirum, ſalus in Scriptura duplici ſenſu vſurpatur, vel pro Redemptionis initio, vel pro Redemptionis complemento. Pro Redemptionis initio, vt *Epheſ.* 2. *verſ.* 8. Gratia ſeruati eſtis per fidem, idque non ex vobis donum Dei eſt. Non ex operibus, nequis glorietur. Sed ne quis opera Regenerationis tincta ſanguine Chriſti, vt dicuntur, excipiat, Apoſtolus excluſit opera à negotio ſalutis, id eſt, juſtificationis, qua ſalus noſtra inchoatur, etiam ea, ad quæ nos jam creatura Dei in Chriſto Ieſu facti atque inſtituti ſumus, quæque Deus ordinauit, vt viam, in qua ambulemus ad vitam æternam, *verſ.* 10. Salus autem pro Redemptionis complemento ſumitur, *Rom.* 10. Corde creditur ad juſtitiam, ore fit confeſsio ad ſalutem. 10. Præcedit fides, confeſsio ſequitur. Vtraque neceſſaria, fides ad juſtitiam, confeſsio ad ſalutem. Confeſsio autem eſt & oris, & operis. Suprà ſalutem fidei confeſsionique tribuebat. Nunc diuidit effectum, non ſecundum partes, ſed ſecundùm gradus. Iuſtitia enim eſt ſalutis principium, eam fidei propriiſsimè tribuit, quia fide ſola juſtificamur, hoc eſt remiſsionē peccatorum, Chriſti merit cōſequimur qui primus eſt ſalutis grad⁹. Cōfeſsioni tribuit ſalutem, non quin fidei ſalus tribuenda ſit, ſed quia fide juſtificati confeſsione oris & operis gloriam cæleſtem obtinemus, quæ eſt ſalutis complemētum. Quo ſenſu ſalutem accepit Auguſtinus, & rectè. Nam inter juſtificationem & glorificationem bona ſanctificationis opera intercedunt, quæ quamuis neceſſaria non fuerunt ad ſalutem inchoandam, quæ noſtra juſtificatio dicitur, at neceſſaria ſunt ad ſalutem conſummandam, non vt cauſæ, ſed vt viæ,

 quem-

quemadmodum Auguſtinum Bernardus exponit, quæ noſtra glorificatio eſt. Et ita verum eſt, quod Auguſtinus dixit, qui te fecit ſine te, non te ſeruabit ſine te. Quamuis alij legunt cum interrogatione, qui te fecit ſine te, non te ſeruabit ſine te? Sed perperam, vt ego judico. Qua in parte, ſi quiſquam Paulinam rectè mentem expreſsit Beatus Auguſtinus, qui neque homini. Non renato dedit libertatem arbitrij ad benè operandum, ne hominem faceret ſacrilegum, neque renato libertatem adimit, ne hominem faceret ignauum. Cauendum cum Apoſtolo putauit, vt nec diuinæ gloriam gratiæ minueremus, nec ſecuritatis humanæ torporem aleremus. Ne dum plumas humanæ decurtamus ſuperbiæ, Chriſtianæ neruos incidamus induſtriæ. Sed hinc ſatis emergit, vt Deus pater in Chriſto & ante tempus, & in tempore precioſum ſeparauit à vili, quemadmodum loquitur Ieremias, ſic Dei filium in fine temporis ſeparaturum, vt decretali patris ſententiæ in mundi principio judicatis filij ſententia in mundi fine reſpondeat. Quis vt ſuum venit conſonabiliter inſonabit pijs omnibus & Regibus & populis qui Chriſtum in membris ſuis famelicum cibo ſitibundum potu ſuo refecerunt: peregrinum exceperunt, veſtiuerunt, ægrum viſitarunt, incarceratum releuarunt: ſic ſuum Ite, terribiliter intonabit, maledictis omnibus magnis & parus, Regibus æquè ac populis, Ite maledicti in ignem æternum præparatum Diabolo & Angelis eius, qui non aluerunt, non exceperunt, non viſitarunt, non ſubleuarunt patientem in membris ſuis oppreſſerunt, ſpoliarunt, fame, ferro, flamma crudeliſsimè atque immaniſsimè cruciatum occiderunt? Nonne tum potentes tyrannos potentèr puniet, quibus Tophet Propheta ab initio præparatum prædicat profundum & latum, in quo cadente ignis lignique plurimum, quod Domini Spiritus, quaſi amnis ſulphuris inflammabit. Cui conſentit Chriſtus, Ite maledicti in ignem æternum præparatum Diabolo & Angelis eius, Diabolo tragœdiæ coriphæo, & Angelis eius, primum Antichriſto Diaboli filio natu maximo, vt illum Apocalypſis deſcribit, deindè prin-

principibus, qui inſtinctu beſtiæ ac pſeudoprophetæ inducti, & Babyloniæ meretricis poculo dementati eius ſanguinolenta decreta exequuntur, quos Deus bonos Angelos rerum publicarum, nutritios Eccleſiarum conſtituit, quid igitur illis accidet, qui cum ex mandato Dei boni Regnorum Angeli, & Fideles Eccleſiarum nutritij poſſe deberent, ex Imperio Antichriſti quaſi mali Angeli, nefarijque prædones Reſpublicæ peſſundant, Eccleſiaſque populantur. Summa, triplex à Deo hominum ſeparatio fit, prima ante tempus in conſilio arcano, ſecunda in tempore in promiſſo reuelato, tertia in fine temporis in iudicio extremo. Habetis Eccleſiæ Chriſtianæ Originem & Finem.

Vere Ethnicum, Regum timendorum in proprios greges, Reges in ipſos Imperium eſt Iouis. Si pro Ioue, Dei nomen poſuiſſet. Reges in ipſos Imperium eſt Dei.

Nunc Eccleſiæ ſeriem inquiramus, ingredienteſque illa intermedia volumina ſæculorum inter principium finemque mundi varias Eccleſiæ ætates & ſtatus euoluamus. Hic quemadmodum Nubem accepimus præiſſe Iſraelitis, cuius ductu in promiſſam terram properarunt: ſic denſam Nubem teſtium nos circumſtantem proponit Apoſtolus, qui nobis in hoc deſerto, quaſi duces præeant promiſſum tendentibus in Cœlum,

Sedes vbi fata quietas
Oſtendunt, illic fas regna reſurgere Chriſti,
Durate igitur, ô ſancti & voſmet rebus ſeruate ſecundis.

En primùm in Adami domo diſtinctio ſancti ſeminis in Abele, in Caino Serpentini. Non igitur tam extrà Eccleſiam, qàm intrà Eccleſiam Moſes ſemen ſtatuit Serpentinum. Sed hic iam quæſtio eſt, cum duplex in orbe Chriſtiana vocetur Eccleſia, vtra ſit ſanctum ſemen, vtra Serpentinum.

Intueamur in Nubem teſtium nobis circumſeptam. Nubem dictam propter doctrinæ fœcunditatem, propter conſolationis vbertatem, propter cæleſtem conuerſationem, vt rectè Aquinas obſeruat: Nubem teſtium, id eſt, Martyrum, qui diuini veritati teſtimonium dederunt duplici Martyrio, Martyrio vitæ, & Martyrio ſanguinis, vt obſeruat Cyprianus: Nubem teſtium nos circumſtantem, quòd quocunque oculos conuertimus. Siue tempora ante

diluvium, ſiue poſt diluvium, ſiue Patriarchas, ſiue Iudices, Reges, ſiue Prophetas contemplamur, teſtes fidei reformatæ maiores reformatæ Eccleſiæ certos & multos habemus. Infinitum eſſet omnes numerare, certos aliquos ex Nube ſumamus.

Primus in Nube teſtis, non Adamus peccator, ſed Abel juſtus. Adamus proponitur in Scriptura non exemplum fidei, ſed cauſa peccati, ideoque peccatorum expiatori Chriſto ſecundo Adamo opponitur. Primus fuit in ſolario fidei, ſed non primus in triũpho fidei. Primus in triumphi catalogo fidei & Eccleſiæ teſtis ponitur Abel juſtus. Hic harmoniam inter Moſem & Apoſtolum obſeruo. Vterque Cainus & Abel Sacrificium offerunt. Deus Abelem acceptat, eiuſque ſacrificium. Non prius Sacrificium, deinde Abelem. Sed Abelem primò, deinde Sacrificium. Non Abelem propter Sacrificium, ſed Sacrificium propter Abelem. Non perſonam propter opus, ſed opus propter perſonam, quæ fide prius, qua promiſſum ſemen Chriſtum amplexus, iuſta extitiſſet, vt exponit Apoſtolus: vnde Gregorius magnus, non reſpexit, inquit, offerentem Deus propter oblationem, ſed oblationem propter offerentem. Cainus Agricola quamuis viliſsimas ex frugibus tumore primogeniture inflatus obtulit, infidelitate tamen faciens viliores ipſe cum Sacrificio ſuo reiectus eſt cum Abel Paſtor ex primitijs & ex adipe gregis offerens Fide, qua obtulit, hoſtiam reddidit gratiorem, quam Deus igni cælitus immiſſo abſumpſiſſe creditur: quod cum Cainus videret, odiſſe fratrem, quòd eius opera eſſent bona, vt interpretatur S. Iohannes, odioque pietatis occidiſſe ſcribitur. Moſ. 4. En primum maiorem Reformatæ Eccleſiæ Abelem iuſtum fide factum perſequutionem eo nomine patientem. Et poſſumus dubitare Cainum opere fidentem ſuo, odioque pietatis fratrum iuſtum occidentem Romanæ parentem Eccleſiæ fuiſſe?

Secundus in Nube teſtis fidei noſtræ & Eccleſiæ Enoch eminet. Nam vt Abel fide juſtitiam, ſic Enoch fide vitam æternam aſſequutus eſt. Per fidem tranſlatus eſt Enoch,

noch, ne videret mortem quem Tertullianus vocat candidatum æternitatis, Epiphanius primogenitum Reſurrectionis, Hieronymus colonum Paradiſi, municipem Cœli, vt ſignificent, ſicut Enoch per fidem in Cœlum cum Elia eſt tranſlatus, ſic omnes credentes per fidem non ſolum animabus, ſed etiam corporibus transferendos. Nam quemadmodum in illis, vt inquit Athanaſius, mutauit legem naturæ dignitas gratiæ, ſic in alijs Fidelibus & Sanctis immutabit. Quorum animos triplicem ſtatum conſtitutum legimus, primum in terrenis tabernaculis, ſecundum in cœleſtibus atris ſtatìm à morte, tertium in domo Dei poſt Reſurrectionem. Nam illæ iam cœleſtes animæ ſanctorum, quæ nunc in cœleſtibus illis receptaculis cum Deo viuunt, & requie ſua perfruuntur, nondum perfectam gloriam aſſequutæ ſunt, ſed ſunt tanquam in ſpeculis, eòque forſitan à Tertulliano dicuntur candidatæ immortalitatis Reſurrectionem ſuorum corporum præſtolantes, quæ non perficientur ſine nobis, nec ſine nobis ſuas coronas accipient, vt Patres, Apoſtolis congruentèr docent.

Tertius in Nube fidei noſtræ teſtis inducitur Noachus finis mundi veteris & principium noui, præco iuſtitiæ, vt ait Moſes, hæres iuſtitiæ, vt ait Paulus, qui inuenit gratiam in oculis Iehouæ, vt ait Moſes, id eſt, ſola gratia ſeruatus eſt factus hæres juſtitiæ, non quæ eſt per opera, ſed eius quæ eſt per fidem, vt clarè diſtinguit Apoſtolus. Quomodo igitur Romana Eccleſia ſit Arca Nohæ, vt ait Pontifex, extra quam nulla ſit ſalus expectanda, non intelligo: cum fidem Nohæ reijciat, niſi fortè Camum maledictum parentem aſciſcat, maiorem Cananitarum. Cui falsò reformatos aſſimilant, quaſi patris Nohæ, Papæ ſcilicet, pudenda retexiſſent cum nemo magis quàm ipſe pudenda ſua perpetuò Cœlo terræque ſenex impudens, denudarit. Niſi forte idcircò ſuam Eccleſiam conſtantem ex electis & reprobis, vt aſſtruit Bellarminus arcæ comparent munda ſimul & immunda animalia continentibus vt Eccleſiam Romanam haræ iamdiu, vel naui piraticæ, quam Arcæ Noæ ſimiliorem effecerint. Nam Reformata Eccleſia manifeſtè impios

at-

atque improbos homines à ſocietate ſecludit ſua: occultos & non conuictos fert illa quidem, vt poteſt ſed viua Eccleſiæ membram non agnoſcit, in Eccleſia eſſe concedit, ſed de Eccleſiæ eſſe pernegat, non plus quàm corruptos humores in corpore ſenſet eſſe de corpore, quamuis ad tempus in corpore maneant quos etiam ipſa ſemper eijcere contendit. Nec intereà negat in Eccleſia viſibili malos bonis impios pijs eſſe permixtor: ſed Eccleſiam ex parte meliori atque genuina, non ex deteriore atque exatica cum Apoſtolo definit.

Sequitur quartus in Nube fidei atque Eccleſiæ Reformatæ teſtis atque author grauiſsimus Abrahamus: qui credidit Deo & imputatum eſt ei ad iuſtitiam: vnde S. Paulus diſcrimen imputatæ & inhærentis juſtitiæ deduxit, quarum illa tantùm fideles coram Deo iuſtos facit, vt ait Paulus, hæc coram hominibus iuſtos eſſe demonſtrat, vt ait Iacobus, Sicut Oecumenius & Aquinas ipſe diſtinguit. Quemadmodum autem pater Fidelium coram Deo iuſtificatus eſt, ita & filij. Pater Abrahamus iuſtificatus fuit iuſtitia Chriſti imputata apprehenſa per fidem, ergo filij fideles omnes imputata Chriſti iuſtitia per fidem apprehenſa iuſtificantur coram Deo. Vt S. Paulus ad Romanas & Galatas ipſe concluſit. Vbi inducuntur duæ vxores Abrahami Agar ſerua, & Sara libera ſignificantes duo teſtamenta, Agar vetus, Sara novum. Duo filij Iſmael & Iſaac repræſentantes duas Eccleſias, ſpurius Iſmael falſam, Iſaac legitimus veram. Quorum tres ponuntur differentiæ, Prima quoad modum originis. Secunda quoad affectum cordis, Tertia, quoad jus hæreditatis. Vt Aquinus obſeruat ex ſerua ſervus, ex libera liber ortus eſt: ſervus ſeruiles, liber ingenuos habet affectus: ex libertate generationis atque indolis jus hæreditatis ac poſſeſsionis Cœleſtis deducitur. Iſmael ortus ex ſerua ſervus vi carnis, carnalique conſilio ſine promiſſo natus: Iſaac liber ex libera non carnis vi, ſed virtute promiſsi, quod ante fecit Deus, Hæc Paulo diuino Apoſtolo admiranda gratuitæ ſalutis imago videbatur quâ ſoboles Chriſti Spiritu regenita lætatur, in quam vi verbi

&

& fidei diuina gratia fulgentes radios ſuos plenè refuderit, vt obſeruat Auguſtin⁹ illos cum Apoſtolo filios promiſſionis appellans: Agarina verò propago ſpuria carnalis populi viua etiam imago ponitur, quæ freta viribus arbitrij ſui, ſine virtute gratuitè promiſſionis ſalutem ex meritis expectat ſuis. Sed meritis, vt fingunt, Chriſti ſanguine tinctis ſcilicet. Abſurdè. Opera autem Abrahæ, vt patris fidelium, remouentur à juſtificatione. Ergò opera tincta Chriſti ſanguine à juſtificatione remouentur. Nullius rei cōſcius in Apoſtolatu ſuo fuit Apoſtolus, tamen eo juſtificatus non fuit. Secluſit Paulus omnia ſua opera à ſui juſtificatione, quæ fecit non modò, vt Chriſtianus, ſed vt Apoſtolus. Erant autem illa Apoſtoli opera, ſi cuiuſquam, tincta Chriſti ſanguine iam paſsi. Opera igitur Apoſtolus Chriſti ſanguine tincta à juſtificatione ſecluſit. Errāt, errant neſcientes vim gratuit⁹ fœderis. Quod Sara vxor Abrahæ legitima adūbrauit. Non ijs operib⁹, quę vt ſpirit⁹ & ſanguinis ſui producit in nobis, ſed ijs tantum operibus quæ Chriſtus in ſeſe præſtitit ipſe pro nobis, nos ab ira Dei, à morte, atque inferno liberauit: & quidem ex fœdere. Nam vbi non eſt fœdus, ibi non eſt fides. Vbi non eſt fides, ibi non eſt ſalus. Duplex fœdus Deus cum Adamo pepigit, alterum cum Adamo iam integro, cum lapſo alterum. Primi formula fœderis eſt, hoc fac & viues. Secundi formula, crede & ſalvus eris. Pater excidit primo fœdere, ſoboles cum parentibus ſecundo fœdere ſeruanda eſt. Ego verò, inquies, & credendo ſeruabor & agendo. Quid igitur aliud facis, quàm tertium fœdus inducis, quod Theologia non admittit, aut igitur perfectè impleas oportet, quod mandauit: Deus aut ſyncerè credas, quod promiſit. Si ſeruari velis ex fœdere gratuito, quod cum Abrahamo renouatum vxor Abrahami legitima Sara Apoſtolo interprete, repreſentat: vt Iſaac per fidem filius gratuitæ promiſſionis factus juſtitiam & ſalutem obtinuit. Niſi malis eſſe Iſmael, Agarinus, ſpurius, & ex fœdere legali, quod eſt ictum in monte Syna, fruſtrà ſalutem expectare.

Quoad originem, &c. Germani Abrahæ filij tripliciter dicuntur, prima per viam generationis, quia cum Iſaaco promiſſionis fide generantur: Secundò per viam ſucceſſionis, quia Abrahæ benedictionibus iure ſuccedunt: tertiò per viam imitationis quia Abrahæ, vt fidem ſic virtutes imitantur. Habetis &c.

Eat iam Pontifex & ſuam Eccleſiam iactet eſſe legitimam Abrahæ coniugem, noſtram Eccleſiam vt Pellicem, eſſe pellendam.

Habens primam differentiam Iſmaelis & Iſaaci, quoad modum originis.

Habete ſecundam differentiam, quoad affectum cordis.

Iſmael promiſſum ſemen irridet Iſaacum, quod Apoſtolus perſequutionem appellat. Et quidem Iſmael dupliciter perſequitur Iſaacum, ſpiritualiter propter promiſsionem, corporaliter propter poſſeſsionem. Et vt ante Cainus Abelem occidit: ſic Iſmael Iſaacum vellet occidere, ſi poſſet, & mendacijs opprimere, vt in occiſi poſſeſsionem inuadat ſacræ ſæuitiæ mater auaritia. Cainum & Iſmaelem Pontifex & Ieſuitæ peruenuſtè videntur imitari: qui non ſolum Abelem occidunt, & Iſmaelem irrident ſed irriſos & occiſos mendacijs onerant, & poſſeſsionibus inhiant mortuorum. At ſæculari brachio puniendos tradere. En Reges quos ille cenſuræ ſuæ exequendæ miniſtros adhibet: quid aliud quam ſuos carnifices reuera facit. Quemadmodum etiam Ieſuitæ ſeipſos excuſant, neminem ſe vnquam occidiſſe, quem aliena manu occiderint. Non patrat cædem Ieſuita, ſed jubet: doctor in arte necandi peritiſsimus, promptiſsimos actores diſcipulos inuenit. Non ille ſed Gulielmum nobiliſsimum Principem Auriacum de medio ſuſtulit. Cuius ab inſidijs, precor Deum vt Mauritium Principem paternæ virtutis hæredem vnà cum Henrico fratre defendat. Non ille, ſed Parræus pugionem, Squirus veneno Elizabetham omnium qui ſunt, fuerunt, erunt præſtantiſsimam Principem interficiendam ſuſcepit. Non ille, ſed Clement poſt Henricum tertium Galliæ Regem interemit. Cuius factum ſceleſtiſſimum impius Pontifex pro concione laudauit. Non ille, ſed Fauxus, verè fax Iacobum omnium non modo Regum, ſed hominum optimum cum tota ſtirpe, Regno, gente nitrato, vel Stygio puluere parum abſuit, quin penitus extinxerit. Non ille, ſed Chattel Henrico quarto dentem excuſit, non ille, ſed Rauiliam poſt vitam, proh

ſce-

ſcelus, eripuit. Magne Henrice, iaces? Molire terras Hercules vt hoc monſtrum domes, vel vmbra ſatis es. Deus Lodouicum Regem Martis huius digniſsimum filium ab huius monſtri genti Burboniæ fatalis præſtigijs tueatur. Manus aliena veſtri miniſtra ſemper furoris adhibetur, ô ſcelerata ſocietas Ieſuitarum, inferni proles, ordo damnabilis, Regum pernicies, gregum laniena, genuina Iſmaeli. & Cai propago, Sathanæ viua in terris effigies, qui fuit homicida & mendax ab initio: in vtroque egregiè patrizas; inſignis homicida; Iam gaudes intus quod timearis tanquam homicida, ita paruos animos magno conſternas metu, vt quibus ſcholæ iam obtuſa argumenta perſuadere non poſſunt, eos officinæ veſtræ per peracutu argumenta ſicæ, incendia, venena, conterreant. Intereà falſis laudibus dealbari perfidiam, & falſis criminationibus denigrare innocentiam didiciſtis: vt quoſdam pios Euangelij miniſtros in Gallia, quod gladios geſtarent, quibus ſe aduerſus veſtrorum violentiam defenderent, traduxiſtis: quibus viris bonis vel à magiſtratu, vel à Deo ipſo iuſtæ defenſibus ſuæ cauſa porrecto Bauſim dicere.

Quantum verò vos ſcelus admiſiſtis cum D. Antonium Baſſum eximium Valtonienſis Eccleſiæ lumen jugulaſtis, & jugulatum irriſiſtis, veſtram crudelitatem exercentes, non ſolum in viuo, ſod etiam in mortuo. Quod idem in multis innocentiſsimis ſanctiſsimiſque viris & fœminis in Galia feciſtis: vt humani & ingenuij papiſtæ tantas & tam barbaras injurias viuis mortuiſque à veſtris præcipuè diſcipulis illatas ægerrimè tulerint. O vos in morte fœliciſsimos, quos iſti Ieſuitæ miſerrimos eſſe voluerunt. O vos verè miſerrimos, qui fœliciſsimi vobis ipſis eſſe videmini. Vſtio, ſectio, membrorum mutilatio, tractio per compitu, ſuſpenſio, aliaque veſtra cruciatuum inſtrumenta miſerum videntur facere patientem, ſed non faciunt. Alia, alia ſunt, ô viri crudeliſsimi ac ſuperbiſsimi, multò miſeriora. Nam quò maior vis eſt animorum quàm corporum, eò grauiora ſunt ea, quæ animis, quam quæ corporibus ſen-

tiuntur: miſeriores igitur qui ſuſcipiunt in ſe ſcelus, qui ij, qui alterius facinus ſubire coguntur. Neque ſolum innocentes Dei ſanctos interemiſtis, ſed interemptos ſpoliaſtis in bonum ſocietatis, vt Martyrum funera, totidem fœnera vobis veſtriſque palam accreuerin, vt non iam homines, ſed fundi vobis eſſent Hugonoti. In eo veri Iſmaelitæ, qui perſequuti eſtis Iſaacum ſpiritualitèr propter pietatem, corporalitèr propter hæreditatem.

Neque ſolum auaritiam veſtram, ſed malitiam ſatiare voluiſtis, in ſanctis, mortuis infamandis, quos occiſos perduellionis inſimulaſtis. Ita nimirum Gracchi Naſicas, & Catilinæ, vel Antonis, Cicerones fideliſsimos Patriotas accuſare potuiſſent. Vt inſanum quendam C. Fimbriam ferunt, viro clariſsimo atque integerrimo Scæuolæ, quem pugionem percuſſerat, diem poſteà dixiſſe, quod totum telum corpore non recipiſſet. Ita Ieſuitæ ſanctiſsimos homines quod illis iugulum ſuum tradere recuſarent, mortuos rebellionis accuſarunt. Aggrauabat iniuſtam mendax cædem infamia, pioſque inhumanitèr lacerabant mendacia manes, generoſiſque leonibus pauidi lepores inſultare, & in ſanctos cineres meiere quodammodo cane videbantur. Quis quæretur? Quis horum exequias proſequetur? Si mater terra per me non queratur. Si mater terra non proſequatur quæ innocentium ſanguinem combiberint, quem veſtrum clamoſum etiam in ſilentio accuſatorem ad Dei Tribunal fideliſsima cuſtos reſeruabit. Ite iam Ieſuitæ & vos medicos ægrotæ Eccleſiæ dicitur, cuius venas inciditis, vt mittatis quicquid pura remanet in corpore ſanguinis. Sed me authore ſanguinarium Caini, & ſcurrille Iſmaelis relinquetis ingenium, ſi de Adami aut Abrahami familia eſſe velitis. Habetis ſecũdam differentiam Iſmaeli & Iſaaci, quoad affectum cordis.

Habete tertiam, quoad jus hæreditatis. Vt Abrahami ſoboles ortu differt & indole: ſic ſucceſſu differre debet atque exitu. Nam Dei ipſius iuſſu ſerua concubina cum ſua prole ſpuria ex Abrahæ domo eijcienda eſt. Solus promiſ-

ſionis

ſionis filius hæres in domo retinundus : vna domus ſemen & coniugis & concubini tenere non poteſt. Dixit Sara, nec plus quam Deus ipſe poſtea confirmauit. Eijce ancillam hanc cum filio ſuo : nam illius *filius* non erit hæres cum Iſaaco meo. Abraham Sacerdos & Princeps familiæ ſuæ Deo mandanti ſtatim obediuit: vt doceat quid Sacerdotes, quid Principes in eo caſu facere debeant, Sacerdotes vt ſpirituali, Principes ciuili poteſtate ex Eccleſia Iſmaelitas eliminent. Poſt Deus Iſraelitis mandauit vt Cananitas exterminarent : ne ſpinæ lateri ſanctæ gentis inhærerent. Sed gens ſancta gentem prophanam non eiecit, perpetuam ergo ſibi ſpinam illam eſſe perſenſit. Capite nobis vulpes & vulpeculas, inquit Dominus, & Sceptrigeris & Clauigeris, vt obſeruat Chryſoſtomus, ne demoliantur vineas, ne Eccleſia teneræ vitis deuaſtent germina, non bene conueniunt, nec in vna gente morantur Iſmael atque Iſaacus, vir ſanguinarius & quietus.

Iam Abrahamus fide imputatam iuſtitiam aſſequutus, ſignum poſteà circumciſionis accepit, ſigillum iuſtitiæ fidei, vt Divus Paulus noſter interpretatur. Non igitur Sacramenta cauſas obtinendæ iuſtitiæ, ſed obtentæ ſigilla ſancti homines ſtatuerunt. Ac ne Anabaptiſtis Abrahæ iam adulti & prius credentis circumciſio fauere videatur, Reſpondet ex hoc loco Auguſtinus fidem in adultis præcedere baptiſmum, in infantibus ſequi. Nam ſicut in Iſaac, inquit, qui octauo die eſt circumciſus, præceſſit ſignaculum iuſtitiæ fidei : & quoniam patris fidem imitatus eſt, ſequuta eſt in creſcente ipſa iuſtitia, cuius ſignaculum in infante præceſſerat : ita & in baptizatis infantibus præcedit regenerationis Sacramentum, &, ſi Chriſtianam tenuerint pietatem, etiam conuerſio ſequitur in corde, cuius myſterium præceſſit in corpore.

Auguſt. lib. 4. de bap, cap. 24.

Hic à filio quodam meo origo & indoles vtriuſque Eccleſiæ, Papiſticæ & Reformatæ è Scriptura deducitur, & cum colligendi animi tum confirmandæ memoriæ cauſam verſibus explicatur.

ERgonè, Chriſte, tuo ſinis vt ſub nomine regnans
Italus innocuum perdat ouile lupus?
Sic ſemper iuſtum Cainus iugulabit Abelem
Fratris dona Deo quòd potiora ſuis?
Iſacum ſannis, ſic ſpurius Iſmael vret
Promiſſi quoniam filius ille fuit?
Vſquene Iacobo ferus inſidiabitur Eſau?
Ortaq́; de terra beſtia ſæua furet?

Maiores Ro. Eccleſiæ moderna { *Cainus. Iſmael. Eſau.*

En Cain ſanguiſugus, Nothus Iſmael, atq́; prophanus
Eſauus patres, Roma moderna tui.
Succeditq́; tuo iam noſtra Eccleſia iuri,
Cui fidei patres, Iacob, Iſacus, Abel.

Maiores Eccleſiæ reformatæ { *Abel. Iſaac. Iacob.*

Namq́; fide gratum Dominus ſibi fecit Abelem,
Poſt gratum fidi munus Abelis habet.
Non munus Domino iuſtum commendat Abelem,
Commendat Domino munera iuſtus Abel.

Prima probatio fidei noſtræ ex Gen. 4.

Ante fides iuſtam perſonam viuida fecit,
Poſt perſona ſuum iuſta probauit opus.
Vnde vetuſta fides apparet noſtra, coorta
Quæ cum Luthero fingitur eſſe noua.

Secunda probatio a fœdere quod eſt ictum cum Adamo.

Nulla fides homini, cui non cum numine fœdus
Et cui nulla fides, nulla futura ſalus.
Vt nos eriperet de mortis gurgite, tantùm
Nobiſcum pepigit fœdera bina Deus.
Ictum fœdus Ada primum cum ſtante, ſecundum
Cum lapſo, natis cepit vtrumq́; pater.
Si facis, vt mando, viues, eſt formula primi,
Alterius, ſaluus, ſi modo credis, eris.
Excidit is primo, ſoboles ſeruanda ſecundo
Vt pater, vt generis mater origo ſui.

In

In cauſa quiſcunque fidem factumq́; ſalutis
Confundit, fœdus finxerit ille triplex.
Nec iam iuſtitiam, quam ſeſe credit habere,
Quam commentito fœdere quærit, habet.
Extat Agar veteris nobis data ſerua figura
Fœderis à Paulo, libera ſacra Noui.
Serua parit ſeruum, ſimilem ſibi libera natum,
" *Quippe ſequax vteri partus vterq́; ſui.*
Iſmael ex ſerua ſeruus vi carnis, & abſq́;
Promiſſo, patri filius ortus erat.
Iſac ex Sara liber, ſed vi ſine carnis,
Non ſine promiſſi. quod Deus ante dedit.
Is ſeruos legis ſeruaes luculentèr adumbrat,
Promiſſi natos liberat iſte refert.
Mira patri proles, cum centenarius eſſet,
Ex ſterili, effœta coniuge nata ſuo,
Quamuis ex carne eſt, ſinè vi tamen edita carnis,
Quam verbo finxit ſpiritus omnipotens.
Hæc mihi gratuitæ miranda ſalutis imago,
Quam ſoboles verè ſpiritualis habet.
In quam vi verbi & fidei diuina refundit
Fulgentes radios gratia plena ſuos.
Auxilio carnis producta Agarina propago
Spuria carnalis plebis imago data eſt.
Viribus arbitrij proprij quæ freta ſalutem
Expectat, meritis iuſtitiaq́; ſuæ.
Natus vterq́; ſuo per multum diſcrepat ortu.
Diſcrepat ingenio natus vterq́; ſuo.
Iſmael irridet promiſſum ſemen, & illud,
Si poſſit fratrem Cainus vt ante, necat.
Sic Romanus adhuc ſanctos, velut Iſmael olim
Promiſſi natos ludere Papa ſolet.
" *Cauſatusq́; fidem fratres occidere, ſicut*
" *Cauſatus murum Romulus ante Remum.*
Fratris vt occiſi fortunam inuadere poſſit,
" *Sacra ſæuitiæ mater auaritia.*

Tertia probatio à fœdere quod eſt cum Abrahamo renouatū. Prima differentia quoad modum originis. Differentia triplex inter Eccleſias duas Papiſticam & Reformatam, repræſentatas per Agarem & Saram earumq́; filios Iſmalem & Iſaacum.

Iſmael dupliciter perſequitur Iſaacum, ſpiritualitèr proptèr promiſſionem, corporalitèr propter poſſeſſionem.

Lutherus.

Non Abel occidit Cainum, ſed Cainus Abelem,
Iſaac cur metuat, non metuatur habet.
Iacobus pacis ſectator, turbinis Eſau,
Ille malum patitur, ſed facit iſte malum.
“ *Quemq; necat, ſpoliat, ſitiens quæ ſanguinis, omnis*
“ *Prædæ inhians etiam beſtia ſemper erit.*
Papiſtam ſimul ac Ieſuitæ ſpiritus afflat,
Alter Cainus atrox, Iſmael alter erit.
Non ego te, papiſta, mori, ſed viuere vellem,
“ *Emendat, ratio quem nequit, ipſa dies.*
Non ego te, Ieſuita, mori, ſed viuere vellem,
Quem ſimul ac linquit vita, gehenna capit.
Non tua cauſa tuæ necis hæreſis, vnica ſemper
Seditio mortis cauſa ſed æqua tuæ.
“ *Tu, Ieſuita, Ieſum iugulas, dic, quomodo dixit*
“ *Ipſe, necas me Saul, dum mea membra necas.*
Saul Chriſtum nondum notum iugulauit, at illum
Notum quotidiè tu iugulare ſoles.
Iam gaudes intus, quod tanquam homicida timeris,
Percellens magno pectora parua metu.
Si gladium gererem, dices, vt ſæpe miniſter
Geſtat Euangelicus, tunc homicida forem.
Vidimus in Regem geſtantes arma miniſtros
In media veſtros obſidione mori.
Enſe ſuum texere caput, quod tu petis, enſem
Non tu, ſed pro te Rauilliaca gerit.
Nempe miniſtra tui manus eſt aliena furoris,
Non cædem patras, ſed Ieſuita, iubes.
Tu per diſcipulos occidis, in arte necandi
Sunt illi docti, tu mihi doctor eris.
Quos quicunq; necat ſe defendendo miniſter,
Ille Magiſtratus eſt manus, ille Dei.
“ *Cui non eſt rea mens, non eſt rea dextra nec illi*
“ *Cui mens polluta eſt ſanguine pura manus.*
In te Cranmerus nolim, ſed Zuinglius eſſe,
Et gladio malim, quàm titione mori.

Tertia distantia a Iudæis quod eſt cum altera hanc renouant. Prima differentia quam nouorum ortam. Differentia triplex inter Eccleſias duas Pontificiam & Reformatam, [illegible] præfiguratis per [illegible] & [illegible] earumq; filios Iſmaelem & Iſaacum.

Iſmael duplici iure perſequitur Iſaacum, ſpiritu [illegible] pro [illegible] ſeniores, [illegible] aliter [illegible] poſſeſſionum.

Non Lutherus.

Nemo

Nemo miſer moriens pro Chriſti nomine, ſiue
Ferro, ſeu vitam finiat igne ſuam.
Sed tu non mortes modò, ſed tormenta requiris,
Quosq́ necare ſoles, excruciare ſoles.
O quàm tu miſer es, quamuis videare beatus,
Qui miſeros alios, reris vt ipſe, facis.
Erras, vis mentis, maior quàm corporis, ergò
Mens mala, quàm corpus, fert grauiora mala.
“ *Eſt miſer ille, ſcelus qui ſuſcipit, improbe, non qui*
“ *Cogitur alterius grande ſubire ſcelus.*
Sat bene patrizas, mendax, homicida probatus,
Vt Sathanas mendax atq́ homicida pater.
Hæreſin obiectas cum proditione necatis
Proditor egregius, nobilis hæreticus.
Sis, Ieſuita, precor, contentus ſanguine noſtro,
Contentus noſtris ſis, Ieſuita, bonis,
Non es. Veſtra pios lacerant mendacia manes,
“ *Paſcitur extincto ſæpe leone canis.*
Adde quòd occiſis ſoleas illudere ſanctis
Appellans ſæuo ſcommate ſtercoreos.
Quid multis? Cainus vobis crudele reliquit,
Scommaticum vobis Iſmael ingenium.
Vtq́ ortus duplex proles & vt indole differt,
Sic & ſucceſſu differet illa ſuo.
Namq́ Dei iuſſu cum ſerua matre propago
Ex Abraha ſerua eſt eijcienda domo.
“ *Solus promiſſi natus retinebitur hæres*
“ *Vna tenere nequit ſemen vtrumq́ domus.*
Dixit Sara (Deus poſt confirmauit Abramo)
Seruam cum ſeruo ſemine pelle domo.
Nec benè, nec tutò poterit cum coniuge pellex,
Nec cum legitima viuere prole Nothus.
Paruit ille Deo, princeps tribus atq́ ſacerdos,
Iure poteſtatis functus vtroq́ ſua.
Poſt Cananitarum, dixit Deus, eijce gentem,
Ne genti lateris ſpina ſit illa meæ.

Cicero in dolo bellum, qui occidit Trebonium.

Sed non eiecit gentem gens ſancta prophanam,
Perpetuam ſpinam ſenſerat ergo ſibi.
Quin nobis capitis vulpes, qua vitibus hoſtes,
Dixit ſceptrigeris clauigeriſque Deus.
Calica ne tenera deuaſtent germina vitis,
Neue Dei captum depopulentur opus.
Non benè conueniunt, nec in vna gente morantur,
Iſmael atq; Iſaac, vir ferus atq; pius.
Sola Abraha ſumat ſoboles ſibi libera limen,
Cui libertatem libera ſponſa dedit.

Vt Chryſoſt. locum interp. 3. Cant.

Quæ ſit illa libertas Euangelica in qua & pro qua ſtare debemus, vt hortatur Apoſtolus, explicatur.

NOn eſt libertas carnalis, qua ſolet omnes
Vaſſallos Sathenas illaqueare ſuos.
Non eſt libertas ciuilis, qua ſolet omnes
Subiectos Regis cura beare ſuos:
Verum libertas eſt ſpiritualis, in ipſo
Interno cordis tota repoſta ſinu.
Sanguine parta Dei, quò culpa legis, & ira,
Et Sathana proles libera facta iugo,
Pareat vſq; ſuo, non vt ſub lege coactè
Seruula, ſed ſponte vt filia caſta, Deo.
“ *Non igitur precium Cœli, meritumuè ſalutis*
“ *Cauſam regnandi, quòd bene fecit, habet:*
“ *Sed benefacta vias Regni, præſagia Cœli,*
Signa gerit fidei, germina vera Dei.
“ *Suaue iugum furo commutat, libera ſeruit:*
“ *Scilicet à vitio libera ſerua Deo eſt*
Hanc libertatem populo, quæ ſola ſalutis
Anchora, vel vitam demere papa parat.
Chara ſed ille ſuæ reddat ſpiracula vitæ,
Quàm libertatis dulcia iura ſuæ.
Terreni Regis libertas parta cruore,
Terreni populi tuta cruore ſtetit.

Par-

Partaq; cœleſtis libertas ſanguine Regis
Sanguine cœleſtis nonne tuenda gregis?
Faſtidit grex? inconſtans. Grex deſerit illam?
Ignauus. Prodit? perfidioſus erit.
Integritas igitur, ſtudium, conſtantia ſanctis
A duce militibus dona petenda Deo.
Grex dormit? capitur. Citò credit? luditur aſtu.
Diſſidet? atteritur. Si tepet, euomitur.
Ergo vigil, prudens animus, concordia, zelus
Confirment fida cœlitùs arma prece.
Hæc exercitibus ſunt vera Ancylia noſtris,
Hæc faciunt fortes magnanimoſq; duces.
Hæc magnos paruis, hæc multos cadere paucis
Cogunt, ſic virtus debilitate valet.
Splendet in infirmis diuina potentia ſeruis,
Et ſanctis dubio tempore præſtat opem.
Vidit mœſta tuas tranquilla Britannia turbas
Gallia, mota malis condoluitq; tuis
Nec cernit ſiccis oculis Germania clades.
Quas tua vis tulerit, quas aliena tibi.
In qua cum charo paſſa Elizabetha marito
Patris fratris amor, gentis & orbis honor,
In medijs inuicta malis, dum infantula ſugens
De matris mammis dulce pependit onus,
Et ſua iactantes in matris lumina vultus
Filioli renouant, pignora chara, metum,
Non humilis mulier tamen inſuperabile geſſit
Pectus & exemplar fœmina facta viris.
Vt pater Æneas & auunculus Hector in illa,
Aſcaniuſque animos noſcat ineſſe ſuos.
Et tu quæ noſtris Eccleſia Belgica rebus.
Fida malis aderas iure iuuanda tuis.
Claſſe potens, ipſis illuſtris facta periclis
Mortis contemptrix, impatienſq; iugi,
Frugalis, diues, ſolers, induſtria concors,
Hoſtis luxuriæ, relligionis amans.
Quam fruſtrà tentat doctis peruertere nugis
Pelagij ſoboles Arminiana lues.

Nam noſtram Synodus ceu Dordacena probauit,
Synceram ſtabili corde profeſſa fidem,
Non minus internis viſa es iam nobilis armis,
Quam prius externis facta fuiſſe tuis.
Vnica nobilitas ſapienti vera videtur
Virtus propitio quam tua nacta deo
Tu nobis aderas & claſſem claſſe ſequuta es,
Sicut ſubſidijs ſemper es vſa meis.
Tu ſemper dicta es coniunx, Angluſq́; maritus,
Et non vxorem protegit ille ſuam?
Tu natos Regis noſtri munimina Regni
Conſeruas fido, pignora magna, ſinu.
Cui præit Auraicus princeps ad ſancta Iehouæ
Prælia & Henricus Mars velut alter adeſt.
Quo viuo nullus veſtros impunè laceſſit
Spinola, Parmenſis nec rediuiua manus.
Iacobus præſens tibi namq́; ſalutifer aſtat
Angelus, oppreſſæ ſicut Eliſa tibi.
Nam libertati per magnos, Belgia, Reges
Quas ſtruit inſidias impia Roma tuæ?
Non Saguntinæ truculentior Hannibal vrbi
Quam victor veſtris vrbibus hoſtis erit.
O! dignare Deus denſam diſpellere nubem;
Quæ pro te ſeruis imminet atra tuis.

Hic Europa nunc ſi placet, rogemus (inquit) Doctorem Albionem vt telam, quàm exorſus eſt, de Eccleſiæ Chriſtianæ origine, ſerie doctrina, cultu, de modo generationis de qualitate indolis, de ſtatu hæreditatis, deque illius conditione prætexat.

Scribit porrò Melchiſedechum Abrahamo à quinque Regum victoria reuertenti protuliſſe panem & vinum, non obtuliſſe, protuliſſe Abrahæ in commeatum, non obtuliſſe Deo in Sacrificium, vt ſcribit Ioſephus: nam ſi obtuliſſet Deo in Sacrificium, Apoſtolus 7. ad *Hebreos* vbi pleniſsimam Melchiſedechi & Chriſti Sacerdotis comparationem inſtituit, nunquam illud Sacrificium in gratiam miſſæ præterire voluiſſet. Quò magis miror à Pontificijs hunc

hunc locum allatum ad defenſionem miſſæ ſuæ: nec minùs illum ex Propheta *Malachia,cap.*1.*verſ.* 11. Vbi Deus ab ortu Solis, inquit, vſque ad occaſum eius magnum erit nomen meum in gentibus, & in omni loco incenſum offeretur nomini meo & munus purum, ſiue oblatio munda. Quo loco Deus ne verbum quidem de miſſa fecit, id eſt, de oblatione ad Altare aut facta per Sacerdotem, aut ſub accidentibus panis & vini, ſed in omni loco pura oblatio offeretur nomini meo. Legali phraſi, vt ſolent Prophetæ, deſignat cultum ſpiritualem & Euangelicum, oblationem noſtri, *Rom.* 12. Oblationem precum & laudum, & gratiarum. At Propheta loquitur de oblatione munda, ſiue pura. At noſtræ preces, & gratiarum actiones non ſunt puræ ſic, vt omni macula careant. Verè id quidem. At tegitur à Deo illa immundities, & Chriſti ſanguine abluitur. Mundus eſt autem, quem Deus abluit. Quod ſe facturum ſpondet *Ezech.*37. & hoſtias noſtras ſpirituales, quæ in fide per Ieſum Chriſtum offeruntur, acceptabiles ſunt, 1. *Pet.*2.*ver.*5. At novum, inquies, Sacrificij genus illo textu probatur futurum ſub nouo teſtamento: at ſpiritualia Sacrificia non ſunt noua, quia erant etiam ſub veteri teſtamento. At non erant in omni loco, vt ſub nouo futurum prædixit *Malachias.* Porrò fideles Iudæi ita ſpiritualem cultum præſtiterunt, vt ceremonialem adjungerent. In hiſce duobus nouitas Euangelici Sacrificij cernitur, quòd in omni loco, non ſolum Hieroſolymis: quod in ſpiritu, ſed non ſine legalibus ceremonijs offeratur. Neque verò loquitur hìc de oblatione per Sacerdotem ſpecialitèr vocatum, ſed per quemlibet Chriſtianum, qui vocatione generali Sacerdos ad Sacrificium purum, ſed non puriſsimum offerendum conſtituitur. Nam puriſsimum illud offerendum eſt, vt poſt clariùs apparebit, & ab vno, & ſemel tantum, nec ſine ſanguine, cuius merito noſtrorum Sacrificorum mundicies depuratur.

De Iſaaco ſuprà ſatis, ſequitur quintus in nube teſtis fidei noſtræ Iacobus. Gratuitæ electionis ſpecimen eximium, quam etſi Bellarminus, & ante eum Thomas A-

quinas nobiſcum negant ex præuiſis operibus eſſe factam, tamen ſunt inter Pontifices, qui affirment adeo repugnantem tenent de Eccleſiæ Chriſtianæ origine titubantemque ſententiam: nos autem exemplo Iacobi & Eſaui electionem quorundam abſolutam, reiectionem aliorum non abſolutam eſſe defendimus. Erat enim peccatum propinqua cauſa reprobationis, quia reperimur omnes in Adamo maledicti, erant Iacobus & Eſauus ambo peccatores in Adamo: ex illa corrupta maſſa Iacobum extraxit Deus ex Eudochia ſua, in qua reliquit Eſauum ex juſtitia, alteri ſuum peccatum remiſit, alteri non remiſit. Odit igitur Eſauum, ſed non odit Eſau hominem, ſed Eſau peccatorem, vt exponit Auguſtinus, non peccatorem actu, ſed ortu: priuſquam mali aliquid feciſſet, in ſe, ſed non priuſquam in Adamo peccauiſſet. Deus deſerit deſerentes: quia tu rejeciſti me, ideò ego reijciam te, manifeſta Dei ſententia. Vnde Apoſtolus ipſe diſtinguit, *v.* 22 inter vaſa iræ & vaſa miſericordiæ: cum loquitur de vaſis iræ, loquitur paſsiuè, quæ conglutinata erant ad interitum, reputa, à Diabolo & à ſeipſis: ſed cum loquitur de vaſis miſericordiæ, loquitur actiuè, quæ Deus preparauit ad gloriam. Vt tota electionis noſtræ gloria Dei gratiæ vendicetur. Eſt igitur Eccleſiæ Reformatæ ſententia, prædeſtinationem eſſe ſpeculum non abſoluti Imperij Dei, ſed ordinatæ eius juſtitiæ & miſericordiæ, abſolutum Dei Imperium trementes adoramus, ſed libentèr ſequimur ordinatum. Potuit Deus ex abſoluto Imperio annihilare creaturam, ante peccatum, ſed ex juſtitia non potuit condemnandam decernere. Fuit igitur in Deo prior peccati conſideratio, quam decreta cuiuſquam hominis condemnatio, fuit etiam prior in Deo miſeriæ contemplatio, quàm decreta cuiuſquam hominis liberatio. Vt & iuſta eſſet reprobatio, & miſericors electio. Quarè vt illi videntur truculentam ſententiam defendere, qui reprobationem ex abſoluto Dei Imperio factam ſtatuunt: ſic qui ex conditione humanæ voluntatis electionem ſuſpendunt, caueant ne ſacrilegum tueantur. Iamdudum miſerabiles filiorum meorum innumerabiliũ voces in campo morientium, audite iam matrem ipſam.

QVERIMONIA EVROPÆ.

LVCETES.

Liber ſecundus.

HIc Albio, ſequitur, inquit, vt Lucetem attendamus originem & Apoſtaſiam Eccleſiæ Romanæ breuitèr apperientem.

Tum Lucetes, D. Paulus (inquit) Romanam Eccleſiam Primitiuam in ſola Ieſu Chriſti fide fundauit, qua juſtitiam Ieſu Chriſti peccator pœnitens à Deo imputatam ad vitam æternam apprehenderet ſibique applicaret. Vt Apoſtolum exponunt quatuor patres, duo Græci Chryſoſtomus & Baſilius, ac duo Latiui Hieronymus & Ambroſius. Qui omnes hominem fide ſola cum Neotericis iuſtificatum eſſe concludunt. Quicquid enim excludit omnia opera, id ipſum ſolum remanet in negotio iuſtificationis ex noſtra parte. Nam ex parte Dei gratia patris, meritum filij, ſpiritus operatio cum fide coniunguntur in juſtificatione noſtri coram Deo. Sed fides excludit noſtra opera omnia. Minimè, inquiuunt, excludit tantùm ceremonialia, de quibus inſtituta, eſt quæſtio. Sed Apoſtolus vtitur argumento

ductо à genere negatiuè. Nullis, inquit, homo juſtificatur operibus. Ergò non ceremonialibus. Negato genere ſpecies tollitur. Et quidē adeò vehementer in ceremonialē Moſis legē inuehitur, vt quiſcunq; illā cum Euangelio cōjungit, illi Chriſtum nihil profuturum pronuntiet Paulus cum ad totam legem implendam obſtrictum eſſe, eum abolitum à Chriſto eſſe, & à gratia excidiſſe: adeò damnoſum, oneroſum, pernicioſum ſeruitutis iugum Moſis legem exiſtimat. Quæſtio tum erat, an cum Euangelio ceremoniæ legis puta circumciſio, Sacrificia, purgationes ciborum ac dierum delectus & obſeruatio coniungi in hominis iuſtificatione deberent. Et quæſtio nunc eſt, an doctrina de juſtificatione gratuita per fidem ceremonias Pontificias, puta miſſaticum Sacrificium, purgatorium, indulgentias, peregrinationes Religionis ergò, aquam luſtralem, ciborum dierumque delectum cæteraſque eorum traditiunculas admittat. Reſpondet Apoſtolus rotundè, non, non, & hanc doctrinam peregrinam vocat. *Heb.*13. & has ceremonias juga ſeruitutis appellat. At Romana Eccleſia non conjungit Moſaicas ceremonias. Eſto. At coniungit Pontificias & multas, partim vanas, partim impias. Sancte Deus, te appello: Tune tuas ceremonias abrogaſti, vt Papa reponeret ſuas? Tu remouiſti paucas, vt ille plures induceret? Tu ſuſtuliſti graues, vt ille ſtabiliret leues? Moſaicæ ceremoniæ vtiles ad tempus & piæ à Deo ipſo inſtitutæ, quæ multos ad Chriſtum promiſſum adduxiſſent, conſiſtere cum Euangelij gloria minime potuerunt: & Pontificiæ à Deo nunquam ordinatæ, partim abſurdæ, partim impiæ, quæ à Chriſto jam exhibito homines abducunt, cum Chriſti fide in juſtificationis negotio coaleſcent? Minimè verò, minimè: quas dum moderna Eccleſia Romana cum Chriſti fide commiſcet, Chriſtum ſibi inutilem reddidit, ad totam legem implendam obligata eſt, abolita eſt à Chriſto, excidit à gratia. Vt è Cœlo tonat Apoſtolus. Ac vt verba Apoſtoli preſsius vrgeam, ſibi & alijs damnoſum, oneroſum, pernicioſum ſeruitutis jugum impoſuit. Abolita eſt à Chriſto, abolita igitur

tur à fundamento. Excidit à gratia, excidit igitur à ſalute. Reſpondeat mihi tota Ieſuitarum natio docta, ſi poſsit, ad hoc Apoſtolicum argumentum. Reformata Eccleſia certè hiſce fulminibus exterrita, à moderna ſeſe Romana Synagoga ſegregauit ſalutis ſuæ cauſa, eò quòd Romana à ſeipſa diſceſsiſſet. Redeat igitur ad ſe, ne nos abſtrahat à ſalute. Ne nobis tam grauia iuga ſeruitutis imponat. Si faciat, reſpondebimus, vt Lacædemonij Athenienſibus, ſi duriora morte nobis imperaueritis moriemur potiùs quàm patiemur reſpōdebimus vt patres noſtri Carolo Quinto reſponderunt, ſi iuga nobis tàm contumelioſa Chriſto, tam damnoſa, oneroſa, pernicioſa conſcientijs noſtris impoſueris, loquendum eſt libere, moriemur. Ne iam mihi friuolas illas reſponſiones obtrudas, Eccleſia errare non poteſt, ego ſum Apoſtolicæ ſedis ſucceſſor: mea ſucceſsio, mea poſſeſſio eſt: prior poſsideo, diu poſsideo: quid ego longam ſucceſsionem perſonarum, ſi principalem, vt vocat, Irenæus doctrinæ ſucceſsionem amiſeris, non ſunt ſemper ſanctorum hæredes, qui tenent loca ſanctorum, ſed qui exercent opera. Si Papa doceat Petri & Pauli fidem, ſit Petri Paulique ſucceſſor, ſin aliam doctrinam docet. Non plùs Petro ſuccedit Romæ, quàm Turca ſuccedit Iacobo Hieroſolymis aut Caiphas ſucceſsit Moyſi, cuius in cathedra ſedit, cum filium Dei cruci affigeret.

Sed quoniam hic Paulinus, articulus eſt fundamentum Eccleſiæ, ſine quo ſtare Eccleſia non poteſt, breuiter explicemus terminos omnes huius propoſitionis peccator pœnitens iuſtificatur coram Deo fide ſola. Non dicit Paulus quemuis peccatorem iuſtificari, ſed pœnitentem. Deus cum iuſtificat hominem inuenit impium, ſed impium non relinquit. Hoc enim eſſet ſancta Chlamide ſua tegere peccatum, non ſancto ſpiritu ſuo vincere peccatum. Itaque pium ei dolorem indit, ſanctumque propoſitum. Primus gradus pœnitentiæ admiſſa deflere, ſecundus deflenda non admittere. Deus enim promittit veniam peccatori, non peccaturo. Subiectum igitur huius enuntiationis peccator, ſed pœnitens prædicatum enucleemus, quod duabus

conſtat terminis, iuſtificari & fide ſola. Iuſtificatio eſt actus Dei, non quo Deus iuſtum facit, ſed quo Deus iuſtum reputat peccatorem. Non quo Deus iuſtitiam homini habitualiter infundit, ſed quo juſtitiam ei liberaliter imputat: vt Paulus Dauidis teſtimonio confirmat. Non qua Deus hominem imbuit, ſed qua Deus hominem induit, vt Paulum exponit Auguſtinus. Quod non ita intelligendum eſt, ac ſi Deus iuſtitiam fidelibus non infunderet ſuam, quibus imputat alienam, ſed quoniam illa infuſa iuſtitia ſemper in huius vitæ curriculo imperfecta eſt, ideò illa coram Deo ſtare non poteſt, imputata Chriſti iuſtitia ſola poteſt, quæ omnibus numeris abſolutiſsima eſt. Quare nulla nos opera iuſtificant coram Deo, niſi ſola Chriſti opera, ſola Chriſti iuſtitia natiua, actiua, paſsiua, quam in ſe præſtitit ipſe prò nobis, non quam operatur in nobis, quæ noſtro ſemper vitio manca & mutila eſt: nec tamen dubitandum, quin opera ſanctorum in Chriſto quamuis imperfecta placeant Deo, ſed non placant Deũ, nihil placare Deũ poteſt, niſi puriſsimum & perfectiſsimum ſacrificium Ieſu Chriſti à ſeipſo ſemel oblatum in cruce, vt patris iram placaret pro nobis ac iudicio ſatisfaceret. Iam fides eſt verbum relatiuum, quæ nobis infuſa per ſpiritum ſola nos iuſtificat non vt opus, ſed vt inſtrumentum: non enim dignitate actus ſui, ſed virtute obiecti ſui nos iuſtificat, & ſi propriè loqui cum Apoſtolo volumus, non tam fides nos iuſtificat, quàm fide iuſtificamur. Vt manus nos non propriè nutrit, ſed cibus manu ſumptus, ita fides nos non propriè iuſtificat, ſed Chriſtus fide ſumptus. Vt annulus includit gemmam, & teſtacea continet olla theſaurum, ſic fides vera, quamuis infirma Chriſtum. Gemma non annulus, theſaurus non olla propriè locupletat poſſeſſorem: ita propriè Chriſtus, non fides iuſtificat pœnitentem. Sed vt olla eſt vaſculum, quo theſaurus continetur: ſic fides eſt vnicum inſtrumentum, quo Chriſtus comprehenditur, vel apprehenditur potiùs. Non enim notitia Chriſti tam in plena Chriſti comprehenſione, quàm in certa apprehenſione conſiſtit. Quod Chriſtus ipſe elegantiſsimè explicauit *Ioh.* 3. ducta

ab

ab æneo Serpente ſimilitudine. Nam vt æneo Serpenti promiſsio ſanitatis eſt annexa, vt quiſcunque Iſraelita ab igneo Serpente læſus rectò ſolùm in æneum intueretur, conualeſceret : ita Chriſto promiſsio ſalutis annexa eſt, vt quiſcunque Chriſtianus peccati morſu vulneratus, rectè modò in Chriſtum crederet, ſeruaretur. Vt illìc ex parte Iſraelitæ nihil requirebatur, niſi rectus in Serpentem intuitus: vt ſanaretur : ſic ex parte Chriſtiani nihil requiritur, Niſi recta in Chriſtum fides, vt iuſtificetur. Itaque cum Chriſtus ipſe rogatus à Iairo, vt filiam illius parvulam animam iam agentem valetudini reſtitueret, audito virginem expiraſſe, patrem mærentem, hiſce verbis eſt conſolatus, Crede tantum, *Marca* 5. *verſ*. 36. Cuius filiam poſt excitauit. Sed ſi Chriſtus fidem ſolam requiſiuit à Iairo, vt vitam temporalem filiæ ſuæ virtute Chriſti reſtitutum iri conſideret: Certè fidem ſolam à peccatore poſtulat qua vitã æternã animæ ſuæ merito Chriſti recuperatũ iri certò ſibi perſuadeat. Neque ſolùm fidẽ poſtulat, ſed & donat: requirit vt credamus, & facit vt credam⁹, requirit vt reſipiſcamus, & facit vt reſipiſcamus: ita Dei dona fides & reſipiſcentia, ita duas haſce conditiones ſalutis non tam exigit à nobis, quàm implet in nobis, vt cum principium, tum inſtrumentum ſalutis vnicum ab eo profectum intelligi poſsit. Itaque Paulus Chriſti optimus interpres, *Epheſ*. 2. *verſ*. 8. Gratia ſeruati ſumus, inquit, per fidem, non ex nobis, Dei donum eſt, non ex operibus, nequis glorietur, quo loco operâ ſecundæ noſtræ creationis excludit, *verſ*. 10. & in Epiſtola ad *Rom*. Sic totius cauſæ ſuæ fundamentum poſuit in Syllogiſmo diſiunctiuo, quod conſtat ex immediatè contrarijs. Aut fide, inquit, iuſtificamur, aut operibus. Non operibus, vt 1. 2. 3. cap. concluſit verſ. 20. Ergo fide ſine operibus, verſ. 28. id eſt, fide ſola. Vt patres Græci & Latini cum Noetericis expoſuerunt. At nunquam dixit Apoſtolus fide ſola. Ne Moyſes quidem cum diceret, diliges Deum tuum tota anima, toto corde, totis viribus, hac voce ſolum addidit, ſed Chriſtus, expoſitionis loco addidit, Dominum Deum tuum adorabis, & ei ſoli ſeruies, quamuis Moſes voculam non habe-

 ret.

ret. Sic cum Apoſtolus concluſiſſet hominem iuſtificari fide ſine operibus legis patres inde neceſſariò intulerunt. Ergò fide ſola; cum Chriſto ſtatuentes Scripturam ſanctam non in ſuperficie, ſed in medulla, non in verborum folijs, ſed in rationis radice conſiſtere, vt ſcite Hieronymus dixit. Nam quod Divus Iacobus *cap.* 2. *verſ.* 24. contra concludit in ſpeciem, hominem iuſtificari operibus & non fide ſola, cum ſpiritus Dei in Iacobo ſcribens ſpiritui in Paulo, ſcribenti contradicere non poſsit: intelligere debemus. Nec idem ſubjectum, nec idem prædicatum, id eſt, nec eandem fidem, nec eandem iuſtificationem ab vtroque Apoſtolo poſitam. Paulus veram fidem in corde fixam requirit, Iacobus falſam in lingua volitante excludit: Paulus viuam ponit, Iacobus mortuam remouet. Paulus fœcundam admittit, Iacobus ſterilem explodit. Paulus aſſumit Chriſtianā, Iacobus reijcit Diabolicā. Porro alitèr iuſtificationē ſumit Paulus, alitèr Iacobus. Paulus pro imputatione iuſtitiæ coram Deo. Iacobus pro oſtenſione juſtitiæ coram hominibus, oſtende mihi fidem tuam ex operibus tuis, inquit Iacobus, vt ex Abrahami exemplo ibidem allato Ocumenius & Aquinas ipſe obſeruauit. homines enim non ex fide ſola de altero, ſed ex eius operibus iudicant. Hæccine pugna? Hæccine contradictio eſt? At fides ſine operibus, vt corpus ſine ſpiritu mortuum eſt. Sanè promiſsio Chriſti eſt forma atque anima fidei, fides forma atque anima Charitatis. Fides animata per verbum & ſpiritum duplicem vitam agit, vnam, qua vivit apud Deum per apprehenſionem Chriſti, *Gal.* 2. alteram qua viuit apud homines per exercitium charitatis, *Gal.* 5. & per bonorum operum functiones. Fides igitur vitam ſuam non ſumit ab operibus, ſed oſtendit in operibus: vt arbor vitam ſumit à radice, ſed demonſtrat in fructibus. Quod ſi opera noſtra nihil conferant ad iuſtitiam coram Deo conſequendam, quomodo, inquies, illud celebre dictum Auguſtini cum hiſcè tuis reconcilias, Qui te fecit ſine te, non te ſeruabit ſine te. Ita nimirum, ſalus in Scriptura duplici ſenſu vſurpatur, vel pro redemptionis initio, vel pro redemptionis cōplemento. pro redēptionis initio,

fides

fides tua te ſalvum fecit, inquit Chriſtus & Apoſtolus, gratia ſeruati eſtis per fidem, *Epheſ.2.* Pro redemptionis complemento, *Rom.10.* Corde creditur ad iuſtitiam, ore fit confeſsio ad ſalutem. Præcedit fides, confeſsio ſequitur. Vtraque neceſſaria, fides eſt cordis, confeſsio oris & operis. Fides ad iuſtitiam, confeſsio ad ſalutem. Suprà ſalutem fidei confeſsionique tribuebat. Nunc diuidit effectum non ſecundùm partes, ſed ſecundùm gradus. Iuſtitia enim eſt ſalutis principium, eam fidei proprijſsime tribuit, quia fide ſola iuſtificamur, vt ante concluſit, hoc eſt remiſsionem peccatorum Chriſti merito conſequimur: qui primus eſt ſalutis gradus. Confeſsioni tribuit & orali & actuali ſalutem, qnia fide priùs iuſtificati confeſsione oris & operis gloriam cœleſtem obtinemus, quæ eſt ſalutis complementum, quo ſenſu Auguſtinus ſalutem accepit. Et rectè. Nam inter iuſtificationem & glorificationem bona ſanctificationis opera intercedunt, quæ quamuis neceſſaria non fuerunt ad noſtram ſalutem inchoandam, quæ noſtra iuſtificatio dicitur, at neceſſaria ſunt ad ſalutem conſummandam, non vt cauſæ, ſed vt viæ, vt Auguſtinum Bernardus exponit, quæ noſtra glorificatio eſt. Et ita verum eſt, quod ſcripſit Auguſtinus, Qui te fecit ſine te, non te ſeruabit ſine te. Quamuis alij legunt cum interrogatione, qui te fecit ſine te, non te ſeruabit ſine te? Sed perperam, vt ego iudico. Qua in parte, ſi quiſquam, beatus Auguſtinus, S. Pauli mentem rectè expreſsit, qui neque homini non renato dedit libertatem arbitrij ad bene operandum, ne hominem faceret ſacrilegum, neque renato libertatem ademit, ne hominem faceret ignavum. Cauendum cum Apoſto putauit, vt nec diuinæ gloriam gratiæ minueremus, nec ſecuritatis humanæ torporem aleremus: ne dum plumas humanæ decurtamus ſuperbiæ, Chriſtianæ neruos incidamus induſtriæ. Solam igitur fidem in iuſtificatione requirit Auguſtinus, nam quæ poſſunt eſſe bona opera hominis adhuc non iuſtificati? Itaque illud non eſt minùs celebre dictum Auguſtini, opera non præcedunt iuſtificandum, ſed ſequuntur iuſtificatum. Igitur ſemper cum fide in conuerſatione Chriſtiani hominis coniunguntur. Vt Iudith cum

Bethuliæ ſuæ liberandæ cauſa procederet ad occidendum Holophernem, ancilla ſua fuit in itinere comitata, ſed in actu liberationis fuit ſola: ſic fides, cum vt animam liberet, virtute Chriſti Diabolum aggreditur, pediſſequis ſuis ſemper eſt bonis operibus in itinere comitata, ſed in actu liberationis ſola verſatur. Eſt certè fides omnium Regina virtutum, Deoque licet abſurda, & iudicio carnis impoſſibilia promittenti firmitèr aſſentiens dat maximam Deo gloriam ſuæ veritatis, ſapientiæ, potentiæ, miſericordiæ. Quam copiosè, quàm magnificè, quàm vehementer diuitias divinæ gratiæ in hominis ſalute procuranda gratuitæ divinus ebuccinant Apoſtolus in ſuis illis ſanctis Epiſtolis? quibus ſummam totius Chriſtianæ doctrinæ breuitèr cõplexus eſt. Quatuor enim effecta producit illa, vbicunque purè ſata eſt: corruptam hominis naturam abijcit, diuinæ gratiæ gloriam effert, concupiſcentiæ vim eneruat, conſcientiæ pacem parit. Nam peccatori humilitatem inſerit, humili fidem ergà Deum, fideli ſanctimoniam, ſancto ſecuritatem. Dum verè pœnitens, rectèque credens, pièque viuens in vita certus, in morte lætus exultat. Antichriſtianà doctrina quatuor contrarios edit effectus. Deprauatam hominis naturam extollit, diuinæ laudem gratiæ minuit, concupiſcentiæ fomitem addit, conſcientiæ pacem detrahit. Dum hominem opinione ſuarum virium inflatum, imminutione diuinæ gratiæ ingratum: intrà turpem, extrà ſpecioſum, in via dubium, in fine timidum facit: vt nec verè reſipiſcere, nec rectè credere, nec piè viuere, nec beatè mori, niſi mutata ſententia, poſsit. Fons autem illorum bonorum quæ dixi omnium, eſt fides, quæ Chriſto tàm arctè copulat animam, quàm ſponſam ſponſo ſuo, vt iure clamet in Cantico, Dilecte, tu meus es, & ego tua ſum. Et quemadmodum Regina nunquam procedit foràs ſine honorato ſeruorum ancillarumque comitatu, ſed actura cum Rege ſponſo ſuo de reconciliatione, ſi, vt fit, inciderit offenſio, vel de amore coniugali, vel de donis ſponſalibus, comitatum relinquit foris, ipſa ſola thalamum ſponſi Regis ingreditur: ita fides quocunque progreditur ſemper ſibi ſocias & comites habet adiunctas egregias animi

mi virtutes Spem, Charitatem, Patientiam, Temperantiam, &, quæ familiam ducit, pietatem, ſed actura cum Chriſto ſponſo ſuo de reconciliatione remiſsioneque peccati, de juſtitia, de vita æterna, alijſque donis ſponſalibus, comitatum ſuum relinquit foris, ipſa cubiculum cœleſtis ſponſi ſui, thorumque nuptialem intrat ſola. Ex qua bona opera neceſſariò naſcuntur, non vt cauſæ regnandi, aut precia Cœli, aut merita ſalutis, ſed vt viæ Regni, vt præſagia Cœli, vt electionis germina, vt ſalutis ſigilla; vt gradus ſcaliq; per quas ad cœleſtem gloriam nobis eſt aſcendendum. Et vt fides iuſtificat perſonam coram Deo, ſic opera iuſtificant fidem coram hominibus. Ita quamuis bona opera non ſunt cauſæ iuſtificationis, tamen iuſtificatio eſt cauſa bonorum operum: & licet non per virtutes ad fidem, at per fidem ad virtutes pervenimus, vt venerabilis Beda doctè pièque dicebat. Non eſt dubium, quin quo tempore ſpiritus Chriſti fidem ingenerat animæ, eodem etiam tempore ingeneret pœnitentiam, quæ tres in nobis edit effectus, luctum pro peccato, luctam cum peccato, victoriam poſteà fugamque peccati: ſed cum odio peccati amor iuſtitiæ iungitur, ex quo bonorum operum ſtudium enaſcatur neceſſe eſt. Pœnitentia igitur in juſtificatione peccatoris, vt dixi per neceſſaria eſt, vt præparatio perſoſonæ ad iuſtitiam recipiendam, quam Deus gratis donat. Fides autem eſt iuſtitiæ recipiendæ vnicum inſtrumentū vt docet Apoſtolus: per fidem enim promiſsionem ſpiritus recipimus. *Gal.* 3. Quod idem docuit Iohannes præcurſor Chriſti, quotquot Chriſtum, inquit, receperunt, ijs dedit prætogatiuam, vt fierent filij Dei, qui crediderunt in nomen eius. Sic Chriſtum recipere & in Chriſtum credere ſynonima ſunt. Quod ſi pœnitentia cum fide contendat, quaſi ſimul ipſa cum fide iuſtitiam recuperet amiſſam, vt Salinator qui Tarentum amiſerat, & Fabio qui recuperauit, dixiſſe dicitur, mea opera, & Fabi Tarentum recepiſti, idem fides pœnitentiæ commodè reſpondere poſsit, quod Fabius Salinatori, certè, niſi tu Salinator Tarentum perdidiſſes, ego nunquam recuperaſſem, ſic fides, niſi tu

pœ-

pœnitentia doleas iuſtitiam amiſſam, ergo nunquam tibi reſtituam. Indicat peccatum præceſsiſſe pœnitentia, non tollit: & eſt non cauſa conſequendæ iuſtitiæ, ſed præparatio neceſſaria ad eam conſequendam, vt acus inducit filum gratiæ, id eſt, fidem, qua Chriſto alligamur. Quod ſi pœnitentia non ſit coniungenda cum fide, vt iuſtitiæ recipiendæ inſtrumentum, certè nec ſpes, nec charitas, quæ ab illa fide neceſſariò naſcuntur, vt Apoſtolus docuit.

Quarum differentiæ homini in ſacris literis, & in agone conſcientiæ exercitato facilè noſcuntur. Fides veritatem promiſsionis ſpectat, ſpes fructum promiſsionis expectat, charitas mandatum legis obſeruat. Fides eſt certa divinæ benevolentiæ apprehenſio, ſpes eſt firma divinæ gloriæ expectatio. Charitas eſt ſyncera divinæ ſanctitatis imitatio. Fide nos amari à Deo propter Chriſtum certò ſcimus. Spe nos à Deo coronatum iri, certò confidimus. Amore Deum, vt patrem, qui nos in præſens amat, & in poſterum coronabit, ſyncerè redamamus. Fides eſt vita atque anima ſpei, ſpes eſt robur & ſanguis fidei, vt eam Clemens Alexandrinus appellat: charitas eſt vtriuſque probatio, & cum pluribus prodeſt, tum longiùs durat, quàm fides, aut ſpes, vt docet Apoſtolus. Fides eſt ſpiritialis noſtra prudentia, qua profligamus errores. Spes eſt ſpiritualis noſtra fortitudo, qua perferimus ærumnas. Charitas eſt ſpiritualis noſtra obedientia, qua vitia fugimus, & virtutes exercemus. Fides eſt vnicum inſtrumentum iuſtificationis noſtræ, ſpes eſt præſagium glorificationis, charitas ſanctificationis noſtræ ſymbolum. Spes eſt character electionis noſtræ, ſpes eſt obſces coronationis, charitas teſſera regenerationis, quas Apoſtolus & ſubiecto, & obiecto, & officio ſuo ſic diſtinguit, vt homo ſpiritualis non plus vivere poſsit ſine fide, ſpe, charitate, quàm ſine corde, cerebro, jecore, naturalis. Cor eſt principium vitæ, cerebrum eſt radix ſenſus atq; motus, jecur fons ſanguinis. Quæ quidem omnia Chriſtus homini ſpirituali cenſendus eſt. Fides eſt cœleſtis arteria, quæ ſpiritum vitæ in animam deducit à corde & capite ſuo Ieſu Chriſto. Spes eſt quaſi

cœleſtis nervus, per quem ſenſus futuræ gloriæ anticipatur, & in hac miſeriæ valle præcipitur. Charitas eſt quaſi vena jecoris, qua ſanguis ad omnes myſtici corporis partes roborandas diſtribuitur, & derivatur. Hæc eſt doctrina verè Apoſtolica, in qua primitiua Eccleſia Romana fundata eſt.

Sed fidem ſolam in Chriſtum ponit Apoſtolus iuſtitiæ inſtrumentum. Concludimus, inquit, juſtificari hominem fide ſine operibus legis, id eſt, fide ſola, vt Chryſoſtomus, Baſilius, Hieronymus, Ambroſius locum exponunt. Nam quod hìc Pontificij diſtingunt, fidei ſoli primam iuſtificationem aſsignantes, quam definiunt eſſe translationem hominis à ſtatu peccati ad ſtatum gratiæ & iuſtitiæ, ſecundam autem juſtificationem fidei & operibus, quam dicunt eſſe tranſlationem hominis à ſtatu juſtitiæ ad ſtatum vitæ & gloriæ, in eo quidem ſplendidè mentiuntur. Nam Chriſtus ipſe docuit Iohannis 5. credentem tranſiſſe jam à morte ad vitam, non dicit modò à peccato ad juſtitiam & gratiam, ſed à juſtitia ad vitam & gloriam. Vt poſt, magis ex Apoſtolo conſtabit. Qui 1. *Rom. ver.* 17. docet juſtitiam in Euangelio reuelatam à fide in fidem. Non à fide in opera, quaſi fides juſtitiam inchoet, & opera perficiant. Vt Synodus Tridentina cenſuit, ſed à fide in fidem, fidei tribuens juſtificationis & initium & finem: operis & faſtigium & complementum. Ideòque poſt *cap.* 5. manifeſtè demonſtrat hominem iuſtificatum per fidem habuiſſe acceſſum in gratiam, per fidem ſtare in gratia, per fidem etiam gloriari ſub ſpe gloriæ Dei. Ita principium, medium, & finem ſalutis fidei ſoli aſsignauit. Vbi igitur illa veſtra ſecunda juſtificatio, quam in fide & operibus conſtituitis? cum fides ſola nos non ſolum à ſtatu peccati ad ſtatum iuſtitiæ & gratiæ, ſed à ſtatu iuſtitiæ & gratiæ ad ſtatum gloriæ, vitæq; tranſtulerit? vt Apoſtolus 8. ad Romanos eos, quos Deus juſtificauit, non glorificandos, ſed iam glorificatos eſſe declaret. Adeò vt eos 2. ad Epheſ. cum Chriſto, & in Chriſto iam in cœleſtibus conſidere, cœlique municipes eſſe apertè pronuntiet. Reformata igitur Eccleſia ſic

definit juſtificationem ex D. Paulo eſſe æternum actum Dei, quo fideli omnia ſua peccata condonat, Chriſti juſtitiam imputat, & vna cum ſanctificationis ſpiritu vitam donat æternam. Omnes autem Bellarminianas, aut Stapletonianas argutias, quibus hanc gratuitam ſolius fidei juſtificationem oppugnant, ita enucleatè clarèque diſſoluit, vt ſolaribus prope radijs Apoſtolica veritas ad conſolationem oppreſſæ conſcientiæ ſcripta, Eccleſiæ reſtituta eſſe videatur.

Quamuis autem in caſu iuſtificationis bona opera à fide diſiungat, vt ipſe Paulus, tamen incurſu conuerſationis cum eodem opera bona cum fide conjungit. Ideòque & doctrina & exemplo populum ad omne genus virtutis & rectè factorum cohortatur, vt Dei gloriam illuſtret, ſuam ſalutem confirmet, & alienam procuret, & cum omnium hominum, tum præcipuè ſanctorum viſcera refocillet atque reficiat. Ita curam bonorum operum premit, ſed fiduciam tollit, ſtudium vrget, ſed meritum eneruat. Nec minùs à malefactis dehortatur, quòd homines licet propter bona opera non ſeruentur, tamen propter mala opera damnantur, vt diſtinguit Apoſtolus, mortem peccati ſtipendium eſſe, ſed non addit iuſtitiæ vitam ſtipendium eſſe, verùm Logica multò meliore, vitam æternam eſſe donum Dei per Chriſtum Ieſum Dominum noſtrum. *Rom.6.* Ex quibus principijs Apoſtolicis concludit Eccleſia, virum vere pœnitentem & pium de ſalute ſua certum & eſſe poſſe, & eſſe debere, quoad præſentem gratiam & quoad finalem perſeuerantiam. Vocationem enim & dona Dei eſſe ſine pœnitentia, vt docet Apoſtolus: iuſtificationem eſſe æternum actum Dei qui reſcindi non poſsit: fidem Dei donum eſſe ſemen incorruptibile, quod ſemper maneat: ſpiritum Dei dari fideli, non ſolùm vt pignus, ſed vt arrham, cœleſtis hæreditatis, vt dicit Apoſtolus, & quemadmodum Aquinas obſeruat, vt partem precij, quod non eſt auferendum, ſed complendum. Quòd ſi fidelis in grauem lapſum inciderit, vt Dauid, vt Ionas, vt Petrus, eum non deiectum à ſtatu gratiæ, ſed ſuſpenſum ab vſu gratiæ,

tan-

tantiſpèr, donec nouo actu pœnitentiæ novum illum reatum aboleuerit. Priuatum interea ſpiritus libertate, non ſpiritu, ſpoliatum gaudioſalutis,non ſalute,eſſe membrum Chriſti iuxta vnionem ſpiritus & vitæ, non iuxta communionem virtutis & efficaciæ,eouſque,vt ſenſu ſuo ad tempus videatur emortuum, quemadmodum Regi Dauidi accidit, cum ſic precaretur, Cor mundum crea in me Deus, & ſpiritum renoua rectum in me, fuit igitur non reuera nouæ fidei creatio, ſed veteris renouatio,ſic enim ſequitur, ſpiritum tuum ne auferas à me, habuit igitur. Nam cum Rex eſſet à Nathane Propheta, reprehenſus ita, vir mortis es, ſtatim Dauid reſpondit ingenuè, peccaui. Vnde conſtat fuiſſe in Dauide compreſſum ſpiritū, non extinctum. Vnde etiam Auguſtinus fidem Regis non fractam,ſed curuatam eſſe dicebat, & Bernardus, fuit, inquit, in Dauide fidei non abolitio, ſed ſoporatio: quemadmodum etiam Imperator Theodoſius,cum ſeptem millia Chriſtianorum interfici Theſſalonicæ, temerè mandauit, reprehenſus ab Ambroſio peccatum humilitèr confeſſus eſt. Neuter Rex adverſus ſuum reprehenſorem excanduit, ſed vterque reprehenſus ſuam pœnitentiam declaravit. Sed tantàm eſſe voluit Apoſtolus, verè pœnitentium certitudinem fidei, qua cum præſentem gratiam tum futuram gloriam apprehenderent, vt nullam inde carnalem, ſed ſpiritualem ſecuritatem oriri manifeſtè ſcribat Ambroſius in hunc locum, Nulla eſt ijs cōdemnatio, qui ſunt in Chriſto Ieſu qui ambulant non ſecundum carnem, ſed ſecundum ſpiritum. Habent enim electionis arcanæ ſuæ indicem ſpiritum, vt loquitur Bernardus, teſtem vt ait Paulus, qui ſpiritus adoptionis appellatur,conteſtans ſpiritui noſtro nos eſſe filios Dei & hæredes, & cohæredes Chriſti. Quod ſi nobis Angelus aut Archangelus teſtaretur à Deo miſſus, vt eſt miſſus ad Manoam, crederemus: quantò magis cum ſpiritus, Angelorum Deus noſtro id ſpiritui conteſtetur in corda noſtra à Deo miſſus, credere debemus? Angelus quamvis ſit excellens creatura tamen creatura, gutta huius oce-

ani, ſcintilla huius ignis, radius huius ſolis, qui noſtris animis illuxit: porrò Angelus tantummodò loquitur externis auribus ſpiritus teſtatur ſpiritibus noſtris: Angelus teſtatur, ſed non perſuadeat, ſpiritus ita teſtatur, vt perſuadeat, nam eius inſtinctu clamamus Abba pater. Angelus nuntium tradit, & evaneſcet: at ſpiritus habitat in cordibus noſtris, velut in Templis ſuis. Dum Deum in Chriſto patrem fideliter, ferventer, humiliter invocamus vt neque tepidæ, neque timidæ, neque tumidæ ſint preces noſtræ, ſed zelo ardeant, fide audeant, metu modeſtæ ſint, profectæ cum ab amore, tum à timore filiali, quorum vterque certam ſalutis fiduciam parit. Quæ ſi nobis Angeli teſtimonio confirmari poteſt, quanto magis ſpiritus teſtimonio, qui profunda Dei perſcrutatur, quò filijs illa Dei revelet, vt docet Apoſtolus. Cuius methodum nos cum Auguſtino ſequimur. Qui aguntur ſpiritu Dei, ij ſunt filij Dei: ijs ſpiritus adoptionis conteſtatur filiationem ſuam. Nemini ſpiritus Dei gratiam ſolaminis impertit, niſi cui gratiam regiminis largitur. Nemini paracletus, niſi cui Dux eſt: nemini dat teſtimonium adoptionis, niſi cui ſtudium obedientiæ dederit: neminem erigit, niſi quem dirigit. Remouet ex animis noſtris ſeruilem metum, ſed retinet filialem: & caſtum timorem ſemper cum certa fiducia conjungit. Nam territi, præcavemus, præcaventes, ſecuri ſumus. Ita timor cautionem, cautio ſecuritatem parit. Tridentini vanam hæreticorum confidentiam taxant, præſumptionem traducunt. Quos feriunt? Non eſt noſtra vana, ſed pia confidentia: non præſumptio, ſed devotio. Hæc eſt enim noſtra doctrina Apoſtolicæ conſanguinea. Caueant igitur Tridentini, ne per noſtrũ latus Apoſtolum vulnerent. Habemus porrò Catharinum, Nazinarium in Concilio nobis ſuffragantes. Nam quod peccata videntur fidem ſanctorum ad tempus intercidere, certè cum Dei promiſsione, tum Chriſti prece ita muniti ſunt, vt fidei vivæ licet actum interdum intermittant, habitum tamen nunquam amittant: peccata fateor, gravia tollunt gratiam meritoriè, ſed non tollunt effectiuè,

vt

vt ſanior ſchola concedit: & actum Regenerationis indiuiduum ponit, renovationis dividuum, quòd vt ſemel generamur ad vitam temporalem, ita ſemel regeneramur ad vitam æternam, quam gratiam regenerationis quiſquis iterandam eſſe dicat, non video ſanè cur ſigillum gratiæ baptiſmum iterandum neget. Quod quam abſurdum ſit, vident: abſurdum igitur illud, ex quo conſequitur, fateantur neceſſe eſt.

Quarè mihi quidem confeſsio Anglicanæ Eccleſiæ maximè placuit, articulo decimo, quo fideles dicuntur à gratia poſſe recedere, quod non idem eſſe ac excidere ex gratia doctiſsimus Rex vnà cum Clero ſuo in Hamptonienſi colloquio luculentèr expoſuit. Et improbiſsimum illum Petri Pertij libellum de Apoſtaſia ſanctorum inſcriptum, miſſum ad Reuerendiſsimum Archiepiſcopum Cantuarienſem, quaſi cum Anglicana confeſsione congruentem vehementèr improbavit. In quo quidem dogmate, Arminiani videntur cum Pontificijs quaſi Sampſonis vulpes capitibus diviſi caudis colligari ad inflammandam Eccleſiam. Nos verò cum noſtris viribus renuntiamus, tum Dei potentia planè confidimus nos cuſtoditum iri per fidem ad ſalutem æternam, vt docet Petrus: quòd ſi nos potentia ſua cuſtodiet per fidem, certè cuſtodiet fidem: & ſi ceciderimus, manum ſupponet, ne collidamur, vt loquitur Propheta, & ſalubrem pœnitentiam dabit, vt ex peccato reſurgamus: & juxtà promiſsionem, talem timorem indet animis noſtris, ne ab eo vnquam recedamus; ſed ei perſeuerantèr adhæreamus, vt locum exponit Auguſtinus, quam ſanctam fidelium plerophoriam Pontificij penitùs euerterunt, & Epochera illam carnificinam conſcientiæ induxerunt. Quo dogmate Sathanas nullum vnquàm peſtilentius excogitavit: hoc enim commento fidem & conſolationem omnem penitus eliſit: Chriſtianiſmum in merum paganiſmum convertit: Quid enim, quæſo, promiſſiones Euangelij à figmentis Mahumetis, fides & ſpes Chriſtiana ab opinatione & ſuperſtitione Paganica different,

 rent,

rent, ſi non major ex illis quàm ex iſtis certirudo ſalutis oriatur? conſcientiæ perpetuò fluctuabunt inſtar fluctuum Marinorum, qui ventis agitantur: tandemquè neceſſariò in deſperationem demergentur, ſiquidem fruſtrà exiſtimat homo ſe quicquam accepturum à Domino, qui diſceptat, vt ait *Iacob*.1.6. Ita vel hoc vnico impio dogmate, ſi nullum aliud haberet, apertè ſe prodit Pontifex eſſe grandem illum Apoſtatam Antichriſtum. Erat enim in hoc Apoſtolico fundmento extructa Romana Eccleſia Primitiua: à quo iamdiù penitùs excidit. Nihil vt moderna habeat cauſæ cur ſe ab Apoſtolo laudari, ſuamque fidem celebrari cenſeat. Nàm illam Eccleſiam, non iſtam, illam non iſtam fidem commendavit Apoſtolus. Cum Piſo vir ex nobiliſsima familia natus, ſibi conſulatum à populo Romano delatum gloriaretur, dictum hoc à Cicerone meritò retulit, non homini delatus eſt honos, ſed nomini: Piſo eſt Conſul à populo Romano factus, non iſte Piſo: ſic cum moderna Eccleſia Romana ſibi laudem ab Apoſtolo tributam, ſuam fidem celebratam eſſe jactet, reſpondemus & jure quidem, quidem Apoſtolus non iſtam, ſed illam Eccleſiam, non iſtam, ſed illam fidem commendavit. Te, te, Chriſte, judicem appello: cuius Apoſtoli Paulus & Iohannes Apoſtaſiam Romani Pontificis, & Romanæ Eccleſiæ vivis coloribus depictam prædixerunt, (alter enim ſcripſit myſterium, alter commentarium) vterque tuo ſpiritu, vix vt clariùs potuiſſes loqui, ſi Papam Romanum nominaſſes. Habeo fratres varijs in Academijs qui verſibus vt antiquitùs Prophetæ res ſanctas & graves carminibus exprimere ſolebant, grandem hunc Apoſtatam, & Apoſtaticam Eccleſiam, in qua ſedet, expreſſerunt: quos proponam vobis, ô Reges, ſi placet, vt animi veſtri grata quadam varietate recreentur. In quibus Chriſtum ipſum alloquitur.

Cicero in Piſonem.

Nemo, Chriſte, tuis quam transfuga, ſævior hoſtis,
Non Nero tam ſævus, quam Iulianus erat.

Quan-

Quantum ſydus erat Romanus Epiſcopus orbi,
Quum vera fidei prætulit ille facem?
Sed cum cœleſtem cultumq́ fidemq́ reliquit,

Reuel. 9.

Dicitur in Stygium ſtella ruiſſe lacum.
Vt doctus, nauus ſyncerus presbiter orbi,
Fixa velut cœlo eſt lucida ſtella ſuo,
Sic indoctus, iners, corruptus dicitur eſſe
Stella cadens, ſanctis exitioſa tuis.
Qualis Apoſtaticus Romanus Epiſcopus orbi
Apparet, ſeruis dira cometa tuis.
Vt Paulus legitur myſteria, Chriſte, Iohannis
Commentariolis expoſuiſſe ſuis.
Nempe notis binis depictus Apoſtata grandis,
Conceſſas eſcas coniugiumq́ vetans,
Cœlebs immundus caſto quaſi ſanctior eſſet
Coniuge, vel piſcis, purior eſca foret,
Quàm caro, quæ quamuis nobis res parua videtur,
Doctrina eſt, Paulo teſte, Diabolica.

Duæ notæ Apoſtaſiæ à Pontificis, ciborum & nuptiarum prohibitio.
2. Tim. 4. 1, 2, 3.

Non hìc blaſphemus perſtrictus Marcion auſus,
Quippe creaturas qui violare bonas.
Tactus hypocriticus Romanus Apoſtata mendax,
Auſus ſub ſpecie qui prohibere boni.

Modus Apoſtaſiæ { In hypocriſi, Clandeſtina, Non aperta blaſphemia.

Adde, quòd Idoli cultor conuincitur, Ergò
Dæmonis, vt Logice ſancta Iohannis habet.

Reuel. 9.

Sic ſeu doctrinam, ſeu cultum penderis omnem
Papiſmum noſcas eſſe Diabolicum.
Adde quòd à refuga ſcribat miracula Paulus
Falſa Diabolicis facta fuiſſe dolis.
« Qui Chriſtum ſumit, nec Chriſti ſumit amorem,
Chriſto, quem prius eſt viſus habere, caret.
« Subtractoq́ oculis vero mendacia credit,
« Priuat eum, quem vult perdere, mente Deus.

2. Th. 2.
Duæ grauiſſimæ cauſæ huius defectionis afferuntur ab Apoſtolo.
1. 2. Th. 2.
2. 1. ad Ro. c. 1.

Quiq́ immortalem mortali fingere forma
Audet, eumq́ colit quem facit ipſe Deum,
Nonne Deus iuſtè fœdis affectibus illum
Tradat, & in mentem conijciat reprobam?

« Aug-

" Augmentum ſceleris tormentum grande ſceleſti,
" Eſtq́; malo, domino vindice, pœna malum.
" Nullum iudicium tam formidabile, quam cum
" Punit criminibus crimina prima nouis.
Ut cum ſpurcitiem carnalem à numine pœnam
Spurcities Papæ ſpiritualis habet.
Monſtro notas, deſigno modos, dilucido cauſas
A vera lapſus, quæ data, prima, fide.
Falſa premo, parte velut apoſteumata ſane
Plurima quæ longo præualuere die.
Quis credet, dices, ſi non quibus omnia veris,
Falſa accreuerunt, tempora certa notes.
Non credes medico vetus apoſteuma ſecanti,
Ni dicat, quando cœperit illa lues?
"Multa planus cudat ſi falſa numiſmata, veris
"Mixtaq́; falſa probet Lydius eſſe lapis,
Nonne reum credes, actor niſi dicere poſſit
Cuncta quoto nebulo cuderit illa die?
Non eſt iſta palam, non eſt ſimùl hæreſis orta,
Sed clàm, ſed lentis paſſibus aucta ſuis.
" Myſtica tota lues, tectis aſtutia ſenſim
" Inuexit Sathanæ quam vetus vſa vijs,
Ingenio papæ tumidi, crudelis, auari
Ad Regni augmentum ſemper abuſa ſui.
Quid quòd doctrinæ genius papalis hyanti
Papali plenè ſeruit auaritiæ?
Sola fides exoſa, quod omnia dogmata papæ
Commoda principijs deſtruat vna ſuis.
Purgantes flammæ flammas aluere culinæ
Papalis, ſcorto ſcorta tributa ferunt:
Iudæi Iudæ quæ vectigalia pendunt?
Quos reditus fiſcus pontificalis habet?
Immenſos papæ parit indulgentia queſtus,
Innumeras papæ miſſa rependit opes.
Regum arcana ſeni confeſſio ſacra recludit,
Peccatis populi viuat vt ille ſui.

Quid

Quid dico, viuat? Regnet, ſolamq; laboret,
Tollere, qua tellus ſcit ſua lucra, fidem.
Cunctas ſi coner lucrandi dicere technas,
Æquoreæ guttas dicere coner aquæ.
Atheus ille Leo dixit, quàm ludicra, Bembe,
Fabula de Chriſto profuit iſta mihi?
En patrem ſanctum, cui non pro canone verum,
Vtile ſed fidei regula ſola fuit.
Diuitias pietas peperit, primaria papæ,
Filia ſed matrem deuorat ipſa ſuam.
Hijs dementatus paulatim papa reliquit
Maiores eius quam tenuere fidem.
Intereà Triadem verbo Chriſtumq́; fatetur
Perfidiaq́; fidem præſtruit ille ſua.
" *Paſtor degenerans, titularis Epiſcopus, alter*
" *Iudas, infidus perfuga, ſtella cadens,*
" *Actu hoſtis Chriſti, Chriſtiq; vicarius aſtu,*
" *Faſtu riualis, falſus in orbe Deus,*
" *Atq́; agnus fictus, ſed dæmon verus, & alta,*
" *In Cathedra Simon ſeſſor, in vrbe Sinon,*
" *Hoſti qui prodit Domini tentoria ductor*
" *Pupillos tutor nomine paſtor oues.*

Aliquot antiqui ſic illum deſcripſerunt ex Apoſtolis.
Gregorius magnus ipſe ante annos mille.
Papæ viua deſcriptio ex Paulo & S. Iohanne ſumpta.

Quid mirum igitur ſi Eccleſia Romana ab antiqua fide ſua defecerit, quum tot Pontifices Romanos Apoſtaſiæ duces atque anteſignanos habuerit. Nam quod promiſsionem Chriſti allegat, ſeſe nunquam defecturam, vbi, quæſo, eſt illa promiſsio ſcripta? quàm aliam habuit promiſsionem, quàm Epheſina, quam Antiochena, quarum vt illa Timotheus, in hac Petrus ſediſſe perhibetur: quàm Hieroſolymitana, in qua Chriſtus ipſe docuit, & quam

Plures noui doctores, qui euentum Prophetiæ melius intellexerunt.
1. I. Wiclefus, Anglus.
2. I. Huſſius, Boemus.
3. M. Lutherus, Germanus.

4. Cranmerus & Ridlerus, martyres Angli. 5. I. Iuellus, 2. Th. 6. I. Foxius in Apocalypſim. 7. Guilielmus Fulco in reſpon. ad Teſt. Rhem. 8. Franciſcus Iun. in Apoc. 9. Guilielmus Whitakerus in Comitijs. 10. Robertus Abbatus. 11. D. Downamus. 12. Brightmannus. 13. Napperus Scotus. 14. Arthurus Dent & Giffordus. 15. Sereniſſimus magnæ Britanniæ Rex. 16. D. Andreas. 17. Is, qui Papæ ſpeculum ſcripſit.

S ſuo

ſuo ſanguine, vt matrem cæterarum Eccleſiarum conſecravit. Illæ tamen à Chriſto atque à fide defecerunt, & in Turcarum poteſtatem, proh dolor, devenerunt. Promiſsionem non lego, comminationem lego factam Romanæ Eccleſiæ, fore, vt excideretur, niſi in bonitate Domini perſtitiſſet, quemadmodum Hieroſolyma exciſa eſt. Caue ne tu quoque excidare, inquit Apoſtolus. Comminationi terribili lugubris reſpondit euentus, vt orbis videt.

Roma Bethel quondam, ſed nunc es facta Bethauen,
Nunc domus es ſathanæ, quæ domus ante Dei.
Idolo veniente Deus diſcedere ſueuit,
Quippe domus dominos non capit vna duos.
" *Pœna premit peccata, Deus tua Templa reliquit,*
Ante reliquiſſent quòd tua Templa Deum.
" *Deſertrix deſerta manes, Solyma ipſa reiecta,*
Quæ Chriſtum Dominum ſponte reiecit, erat.
" *Quin tu fata times Solymæ, quæ facta ſequuta es?*
" *Quem grauat illius culpa, ruina manet.*

Piè docteque potentiſsimus sereniſsimusque magnæ Britanniæ Rex in Epiſtola ſua Monitoria ad Cæſarem, Reges, & Principes Chriſtianos, ego, inquit, imaginum adorationem pro intolerabili Idololatria habeo atque abominor. Quæ tamen excuſatur argutis hoc genus effugijs, & ſophiſticis diſtinctiunculis, Idolum ſcilicet nihil eſſe, ſe autem rerum, quæ ſunt, & veri Dei imagines reverari. Aſtipulatur optimo Regi doctiſsimus Epiſcopus lumen Eccleſiæ ſuæ, qui aliam Bellarmini futilem diſtinctionem ſuſtulit, qua diſtinguit, ſuos non adorare imagines pro Deo, ſed cum Deo: non pro creatore, ſed cum creatore: nec terminare cultum ſuum in imagine, ſed honorem imagini delatum ad prototypum redire. Cæteraſque huiuſmodi diſtinctionum quiſquilias. Meditentur itaque, Rex inquit, qui ſic in Religione ſentiunt, defenſionem aliquam, qua ſe in vltimo iudicio Idololatriam exprobrante Chriſto

pro-

probent, qui an tum temporis iſtiuſmodi excuſationes ex illis argutiarum ineptijs petitus in ſolutum accepturus ſit, vehementer ambigo. Cuius in gratiam excuſationes Romæ verſibus expreſſas, verſibus refello.

Roma loquitur.

Non idola colo, vates vt ſomniat iſta,
Nec legem violo, quæ ſimulachra vetat.
Nec colo, nec fingo falſorum ſigna deorum,
Sed veri fingo ſigna coloq; Dei.
Nec tam ſigna colo ſimplex, quàm numen in illis
Cumq; Deo, non pro ſic ſimulachra colo.

Reſponſio Reformati.

Diſtinguis de lege volens extinguere legem,
Raſeris è tabulis quam prius ipſa ſacris.
Non facies quicquam tibi ſculptile, fictile, lex eſt: Exod. 19.
Mens legis, veri ne ſit imago Dei. Deut. 4.
Cum vitulos finxit Ieroboam, fingere dixit
Veri, non falſi ſe ſimulachra Dei.
Confractuſq; pio Serpens à principe, cultus
A populo, quamuis eſſet imago Dei.
At non pro, ſed cum diuino numine ſignum
Aut ſculptum, aut fictum Roma moderna colis.
Sic non pro, ſed cum coniux Agamemnone ſumpſit,
Ægiſtheum vetito perfidioſa toro.
Mens Clytumneſtræ fallacis adultera viſa eſt:
Et non Romanæ cultus adulter hera?
Effingat propius niſi Meſſallina latinam
Perfricta meretrix fronte latina lupam.
Cæſare quæ ſolo minimè contenta marito
Dicta palàm Sylio nupta fuiſſe ſuo.

Sed ne furore potiùs Poetico, vt fortaſſe dicet, quàm divina

divina ratione Romæ Apoſtaticæ idololatriam conviciſſe videamur, age verò ſecundam legem Moſis proponamus atque exponamus, quam ipſa tam impudenter è Decalogo auſa eſt expungere; non facies tibi ſimilitudinem vllius rei vel in cœlo vel in terra, nec te coram illis incurvabis, nec ſeruies eis.

At hæc lex imaginem prohibet, inquies, non veri, ſed falſi dei. Audiamus igitur Moſem legis interpretē. At enim (inquiunt) nos Iacobum Moſe antiquiorem pro adoratione imaginum allegamus, qui dicitur adoraſſe aut ſceptri faſtigium Hebraicè ſic, ſuper caput lecti, vel virgæ, vtrumque enim verbum ſignificat. Atque hinc ſenſus facilè elicitur, more Orientalium obſeruat. Nam hij, cum convenirent, beneuolentiam capitis flexione declarabant, vt Europæi dexteræ porrectione. Vide *Gen.* 32. Iacob igitur Ioſepho ingrediente vt auditam filijs ſuis ab eo benedictionem acciperet, incurvavit ſe, ciuili nimirum geſtu, & quia grandævus baculo nitebatur, caput ſuper virgam aut baculum incurvavit. Nihil igitur hic textus facit ad cultum imaginum aſtruendum vt perineptè Pōtificij ſentiunt. Revocandi ſunt igitur ad legem Dei diſertè prohibentem, non facies tibi ſimilitudinem vllius rei in Cœlo vel in terra, nec te coram illis incurvabis, nec ſervies eis.

Moſem igitur velitis nolitis audiatis oportet legis optimum interpretem, *Deut.* 4. Deus tibi ex medio igni loquutus eſt (inquit) & vocem verborum audiſtis, ſed nullam vidiſtis ſimilitudinem. Cavete igitur vobis ipſis nullam vidiſtis imaginem (Dei) eo die, quo Deus tibi ex igne medio eſt loquutus, ne vos ipſos polluatis, faciendo vobis imaginem (Dei) ſculptilem aut ſimilitudinem vllius figuræ, maſculinæ, vel fœmininæ, vel belluinæ, vel vllius rei quæ eſt ſuper terram. Non viderunt, inquit, vllam ſimilitudinem Dei veri, nullam igitur Dei veri imaginem facere debebant. Hoc præcepto Eſaias probat, 40. cap. Deum verum non eſſe figurandum. Cui Deum veſtrum aſsimilabitis? aut quam illi ſimilitudinem ſtatuetis? nihilne

ſci-

ſcitis? non audiſtis? non dictum fuit vobis ab initio? non mandatum aliquod occultum, ſed apertum Dei præceptum intelligens, non facietis vobis ſimilitudinem Dei veſtri. Sic Moſes optimus divinæ legis, Eſaias Moſis interpres. Nullam igitur ſimilitudinem, nullam imaginem veri Dei vel ſculptilem vel fictilem facere debetis, quia nulla huiuſmodi ſimilitudo vel imago, poteſt illius gloriæ ſpendorem repræſentare, ſed noſtræ tantùm vilis phantaſiæ impiam ſtultitiam oſtendere. Quarè cum nulla poſsit veri Dei ſimilitudo exprimi, nulla debet adorari. Incurvatio igitur imagini, non eſt Dei cultus, ſed idoli, quod averſatur Deus. Iam prima pars præcepti, non facies tibi imaginem, aut ſimilitudinem vllius rei, qua Deum verum repreſentes vt Moſes & Eſaias exponunt: ſecundam partem neceſſariò non ducit, non te illis incurvabis, aut ſeruies eis, id eſt, ijs ſimilitudinibus aut imaginibus, quæ ſunt prius, ne fierent, interdictæ. Nam ſi vlla veri Dei imago adoranda eſt, facienda eſt: facienda non eſt, non eſt igitur adoranda. Ideò Deus apud Eſaiam ipſe proteſtans inducitur, *Eſay 42.* meam gloriam alteri non dabo, nec laudem meam ſculptis imaginibus, intelligens nullam ſe partem cultus, vel honoris ac ſervitij ſui, nec latriæ, nec duliæ Deo debitæ miſſurum ſiue ſpiritualis ſit, vt timor, amor, fides, obedientia, invocatio, gratiarum actio, ſiue corporalis vt corporis incurvatio, genuflexio, manuum aut oculorum elevatio, incenſi adolitio, cæteræque externæ corporis actiones, quæ ſunt idololatriæ, cum imaginibus exhibentur, vt ſuperiores internæ & ſpirituales actiones idololatricæ quemadmodum Chriſtus & Moſem & Eſaiam interpretatur, Dominum Deum tuum adorabis & ei ſoli ſervies. *Mat. 4.* Dices, idololatriæ ſunt, cum imaginibus falſorum deorum exhibentur, quæ ſunt idola non aliter. Itanè? Falſi dij natura nulli ſunt, novimus, inquit, Apoſtolus idolum nihil eſſe in mundo, nec eſſe alium vllum Deum, niſi vnum, eumque ſolum eſſe veritatem: imago autem vel figura manibus facta ad effingendum verum Deum, idolum

eſt, Dei lege prohibitum: fictio eſt noſtræ ſtolidiſsimæ phantaſiæ, Chimera eſt, non ens, planè nihil. Ergonè, propter nihil, inquis, puniemur? hoc ipſum nihil, non ens, quod tu ipſe tibi fingis, vt Deus ipſiſsima veritas, & ens entium tibi repræſentetur, idolum eſt, cuius adoratio enti tuo, niſi reſipiſcas, æterno erit exitio. Imago veri dei manibus facta eſt falſus deus, nulla eius vera repræſentatio, ſed tui cordis ficta imaginatio erecta, vt duos paſcat oculos contemptu voluntatis, contumeli nominis, iniuria naturæ divinæ facta manifeſto: cuius ſculptorem averſatur Deus *Deut*. 27. Quantò gravius cultorem averſatur? At durum eſt vocare imaginem veri Dei idolum. Durum? Vocare illud idolum, quod homo fingit pro imagine Dei, & ſimilitudine, quam Deus reſpuit, ac maledictam & abhominabilem eſſe pronuntiat, *Deut*. 27. Nemini dura vox videri debet. Immo verò aliud ijs imaginibus tribuere nomen, quid eſſet aliud, quam Deum facere mendacem, & invito ſancto ſpiritu, Iudæos & Gentes ab idololatriæ crimine abſoluere, quo paſsim illos Scriptura condemnat, id enim ipſum quod adorabant, imaginem Dei iudicabant, nec tam imaginem, quàm Deum in imagine adorabant. At Iudæi & Gentiles falſos deos adorabant: non imagines veri Dei. Iudæi Idololatrici non falſum deum, ſed verum adorabant in vitulo. Non enim vitulum ſuum liberatorem tum à ſe factum, ſed verum deum iudicabant: ſed cum veri Dei monumentum ſibi ſemper ob oculos propoſitum ad ſuam excitandam devotionem habere decreſſent, vitulum elegerunt, quia tales in Ægypto vidiſſent Deo erectas imagines, vbi populum Deo ſub ijs imaginibus ſervientem opulentum & potentem reliquiſſent, ex quibus externis benedictionibus placere Deo cultum Ægyptiacum conſecrabant. Ideoque vt gratos deo ſe oſtenderent liberatori ſuo, & imaginem erexerunt: & feſtum diem proclamarunt, non vitulo ſed domino, *Exod*. 32. Mater Micheæ vovit argentum Domino, *Iud*. 17. ex quo fictilis & fuſilis imago fieret, quod poſteà præſtitit, & Teraphim vocavit

ſacellum ei extruxit, & Levitam conſtituit in honorem Domini, cui priùs argentũ dedicaverat, Iudæi poſteà nunquam alium Deum, niſi vnum agnoverunt, ſed cum viderent Paganos omnes in circuitu Deum in ſimilitudine hominis, vel alterius creaturæ adorantes divitijs atque opibus abundare, ac ſæpe etiam populi Dei Dominos fieri, moribus ſeſe gentium accommodaverunt, *Iud.* 2. coluerunt que, vt ipſi putabant verum Deum Iſraelis in corporeis ſimilitudinibus ac figuris. Cum Deus per Prophetas, quamvis bonas intentiones prætexerent, eos vt cultores peregrinorum Deorum atque Idolorum graviter increparet. Immò Baal, quem Scriptura vt famoſiſsimum Idolum deteſtatur, nihil aliud fuit quàm corporea quædam imago erecta Deo: per quam populus ſervire ſe ac placere Deo ſomniabat, vt ex Oſea colligere licet, vbi Deus promittit ſeſe Iſraelitas in gratiam recepturum, & effecturum, ne ampliùs ipſum Baalis nomine colerent, illo die, inquit Dominus, non me ampliùs Baalim appellabis. Quid? quòd ne pagani quidem tàm cœci fuerunt, vt crederent illud eſſe, quod ipſi feciſſent, Deum, nec illud erigerent, vt Deum, ſed vt imaginem Deo, quem eo genere viſibilis & voluntarij cultus delectatum eſſe arbitrarentur.

Oſe 2.

Pagani.

Memini Numam Pompilium dicere ſolitum, vt eſt apud Plutarchum, metum diuini numinis è Romanorum animis excidiſſe, quòd Dei naturam incorruptibilem, æternam & inuiſibilem, corruptibili & viſibili forma, & figura expreſſiſſent. Quod idem vereor, ne Romanis, iam eorum poſteris acciderit. Sed certè Pagani idcircò lignum adorabant, quod Dei imaginem putarent, vt ſcribit Ambroſius: & ipſi Chriſtianis reſponderunt, non nos timemus ſimulachra, ſed Deos, ad quorum imaginem ficta, & quorum nominibus conſecrata ſunt, vt ſcribit Lactantius. Sed eorum verba in recognitionibus Clementis clariora ſunt, nos ad honorem inuiſibilis Dei viſibiles imagines adoramus, nec ſimulachrum, nec dæmonium colo, ſed per effigiem corporalem eius rei ſignum intueor, quam colere de-

Amb. in Pſal. 118. *Ser.* 20.

Lact. de fal. relig. lib. 2. *c.* 20.

Aug. in Pſal. 113. *con.* 2.

debeo, & non hoc eſt papiſtarum ſubterfugium? Ergo Divus Paulus vtroſque condemnat, non quod habeant nouos aut alios deos, ſed quod vertant Dei veritatem in mendacium, id eſt, gloriam incorruptibilis Dei, in ſimilitudinem ſiue imaginem corruptibils hominis, quam finxerunt primò, deinde coluerunt, vt imagines veri Dei. Adorare creaturam, opus Dei, eſt idololatria: multò magis adorare imaginem, opus hominis. At Pagani, inquies, Deum non nouerunt, ideò vero Deo imaginem erigere minime potuerunt: & veſtri, qui Deum verum norunt, ſi ei imaginem erigunt vt Pagani, grauiores illis idololatræ eſtis. Non enim minuit peccatum ſcientia veſtra, ſed aggrauat. At hæc omnia Pontifices, inquis, adhuc non attingunt. Non enim figurant Deum. Non? Non figurarunt imaginem beatiſsimæ & glorioſiſsimæ Trinitatis, interdum tribus faciebus, vt in veſtra Lyturgia impreſſa ſub Regno Mariæ Angliæ Reginæ, patrem vt ſenem cum cana promiſſaque barba, filiumque patri cum columba media aſsidentem, vt in pleriſque veſtris Eccleſijs & oratorijs: quam tam impiæ poteſtis idolomaniæ defenſionem offerre? Non ſolum adoratio, ſed fictio eiuſmodi picturarum abhominanda eſt: non minor phreneſis, quam Deus in Iudæis ac Gentilibus horribilibus plagis vindicauit. At contra imagines Chriſti & ſanctorum inquies, nulla huiuſmodi exceptio eſt: cur igitur illarum adorationem reprehenditis? Reſpondemus primò certè ſi diuinæ Chriſti naturæ imago non eſt adoranda, humanæ naturæ imago multò minùs. Porrò homo ipſe perfectior & vereor imago Chriſti, quàm vlla hominum manibus effecta, tamen vos nec hominē quemuis adoratis, nec quenquam adorare debetis. Tertiò, ſi quid in fictis pictiſue imaginibus adorandum, vel materia, vel forma eſt. Materia lignum eſt, lapis, æs, argentum, aurum, vel aliud eiuſmodi, in quo nulla religio eſt. Forma eſt conceptus artificis, qui ſpeciem dedit, non ſimilem Chriſto, quem nunquam vidit, ſed placentem conceptui, quem ipſe produxit: & tum adoratis non ſimilitudinem ſeruato-

Amb. in Pſal. 118. Ser. 10.

Lact. de falſa relig. lib. 2. cap. 2.

Aug. in Pſal. 113. con. 2.

ris,

ris, ſed conceptum artificis. Quartò opifex eſt ſemper o-
pere præſtantior: quia nihil eſt in imagine gratiæ, quod
non in illam pictor fictorum contulerit. Et cum nemo pi-
ctori ſeu fictori ſe incurvet, cur picturæ ſe vel ſtatuæ
quiſquam incuruaret? Poſtremò nonne vides quàm ab-
ſurdum ſit, vt homo rationis, ſenſus, vitæ particeps, rem ra-
tionis, ſenſus, vitæ expertem adoraret? Ne dubites igitur,
nullam ibi religionem eſſe vt ait Lactantius, vbi eſt, multò
magis vbi colitur ſimulachrum. Vndè concludit Romanam
Eccleſiam vacuam eſſe omni religione, quia eſt plena ſi-
mulachris. At nos non ipſa ſimulachra colimus, non ip-
ſas imagines adoramus: ſed illas Chriſto & Sanctis, me-
moriæ & repreſentationis ergò, tantum ereximus, quos in
illis adoramus. Fama fidem fecit, cum nobiliſsimus Wal-
liæ Princeps, nuper in Hiſpaniam profectus ipſe Mariam
Regiam virginem digniſsimus procus ambire dignaretur,
Comitatus fideli Paranimpho incidiſſe queſtionem inter
Ducem Buckingamum, & Comitem Oliuarem de religi-
one. Quid tu Comes inquit, in noſtra Eccleſia reprehen-
dis? Reprehendo, inquit Dux, cultum imaginum. Quaſi
vero noſtri, inquit Oliuaris, ipſas imagines colerent, &
non ſanctos in imaginibus quas memoriæ & repræſenta-
tionis ergò nobis ereximus. Experiamur inquit Buckinga-
mius & videbimus veſtros cultum ſuum terminantes in
imagine. Quid multa? ſponſionem dant, templum in-
trant, vitulam inueniunt coram imagine procumbentem,
interrogant illam, quid colat? hunc ſanctum reſpondet illa,
quem cernitis. Iterum rogant, quis ille ſanctus ſiet, & illa,
neſcio, inquit. Hoc ſcio, quod vir meus moriens mihi
mandauit, vt hunc ſanctum familiæ noſtræ propitium ſem-
per adorarem. Vici, inquit Buckingamius, en ſanctum ſa-
xeum, aut ligneum. Vbi eſt veſtra memoria, quam dicis?
vbi repreſentatio? non enim anus tua ſanctum diſtinguit
à forma, quam adorat. Delirat, inquit Comes, & talem
eſſe alteram in tota Hiſpania ſtultam aniculam credo ne-
minem. Quàm multos deliros huiuſmodi, reſpondit in-
trepidè Buckingamius, alit Hiſpania, qui cultum ſuum
in imagine terminant? Annon ſatius eſſet imaginem do-

ctorem erroris, inquit, penitus tollere, quàm plebeculam imperitam diſtinguere neſcientem in tam certum animarum exitium conijcere? ô verè dignum tali Rege præceptore Diſcipulum. ô dignum tali Principe proco Paranymphum. At honos imaginis inquies, in ipſum prototypum redit. Ita nimirum ſanctos coram ſuis imaginibus inuocamus: quemadmodum inter Carolum Principem & Confeſſorem Regium ea de re memorant etiam incidiſſe controuerſiam; ferunt enim Confeſſorem à Duce petijſſe, vt ſibi audientiam impetraret à Principe. Quorſum, inquit Dux? ſi vt fidem eius attentes, fruſtrà facies. Rem indicat Principi, qui audientiam ſponte concedit. Tum Confeſſor, Maria noſtra, quam petis, inqnit, eſt Angela, choriſque ſupplicat atque intereſt Angelicis. Cui lepide Princeps, ſancta eſt, inquit, credo, ſed non Angela, nam ſi eſſet Angela, mortali mihi non eſſet idonea coniux. Sancta modo ſit, vt dicis Confeſſor, inquit, ſanctā illa Mariam involvat. Et Tu cum ſancta, ſi non Angelica virgine matrem Dei virginem invocabis? Cedam tibi, pater, inquit Princeps, ſi ex toto ſacro Canone genuino factum id eſſe potes euincere, ſi non potes, tu mihi cedas neceſſe eſt. Abraham non nouit nos ait ſanctus Iſrael: & ego Mariam veſtram, Mariæ Deiparæ iam mortuæ notam putabo? Chriſtus noſter, vt virginis ſic Dei filius ſemper viuens & me novit & illam: huic ergo Deo noſtro meque veſtram dominam ſoli commendabo. Tum Confeſſori Dux, non dixi tibi, pater, quòd fruſtra tam valentem oppugnares fidem. Non tu illum, ſed te ille convertet, ſi modo principe aurem commodaris. O verè divinum Principem, cui coniux charior vita, religio coniuge. Qui duram conditionem cenſuit, vt dum acciperet ſponſam, deciperet animam. O ſapientem Procum, qui dum dulcia nuptiarum vincula peteret, exitioſa hæreſum retia diſſolueret: quippe qui nulla mercede iacturam ſalutis ſuæ redimi poſſe iudicaret. Hunc Europa promittit ſibi Caroli magni ſimilem futurum ei atque ipſo glorioſiſsimi nominis omi ne lætatur. Nullam optat meliorem diſciplinam, quàm informationem

mationem atque imitationem patris ſui. Cuius in libris, omnis, vt audio, Chriſtiana ſic ad vivum expreſſa religio eſt, vt doleant exteri cæteras illius doctiſsimas & pijſsimas commentationes, non ſimiliter latinè verſas, vt illa eruditiſsima & ſanctiſsima ad Cæſarem & Principes Chriſtianos præfatio monitoria traducta eſt. In qua de Sanctis & Sanctorum imaginibus qua de cauſa nunc agitur diuiniſsimè ſcripſit. Ac primùm de beata virgine. Primum id, inquit, beatæ virgini tribuo, quod de ea Gabriel aſſeruit, & in ſuo Cantico de ſe ipſa prædixit, Benedictam eſſe in mulieribus, & benedictam eam omnes generationes eſſe dicturas: Hanc ego Chriſti matrem veneror, ex qua humanum ſibi corpus aſſumere ſaluatori noſtro viſum: atq; adeò Dei matrem, cum in Chriſto non poſsit à diuinitate humana natura ſeparari. Illam ego ſuprà omnes beatorum hominum ac ſpirituũ ordines ad cæleſtem gloriam elatam, excepto illo vno Deo ſimul & homine, eius filio, piè ingenueque fateor conſtanterque contendo. Sed nec ipſam deridiculo auſim habere, nec impias in Deum voces emittere, non illi diuæ modò, ſed & deæ nomen tribuens, obteſtanſque vt filio illi quidem, ſed & Deo & ſaluatori ſuo imperet & dominetur. Ne illud quidem in animum induco tam otioſè in cœlis eam degere, vt abſurdis cuiuslibet ineptè hominis orationibus pateat, ſeſeque eius rebus ac negotijs immiſceat; nunc precibus, nunc imperio cum filio ſuo agens: modò in terras ad Sacerdotum oſcula & amplexus deſcendens. Modò cum Dæmonibus acri ac pertinaci altercatione contendens. In Cœlis in æterno ſanctorum animarum receptaculo in æternam eſt fœlicitatem collata, nunquam a tantis gaudijs vlla terrenarum rerum cura aut ſolicitudine auocanda. Sit ibi ſane cum chariſsimo filio ſuo noſtroque redemptore, in perenni beatudine & omnibus ſæculis duratura. Quod ad ſanctorum ſuffragia, ſcio ego Chriſtum præcepiſſe, vt ad ipſum veniamus, quicunque peccatis oneramur: illum quippe nos refecturum & leuaturum. Scio Paulum A-

poſtolum humilitatem & religionem Angelorum prohibuiſſe, omnemque huiuſmodi venerationis cultum in ſuperſtitione & humilitate, non ad parcendum corpori, non in honore aliquo ad ſaturitatem carnis: ſed qua fiducia, quoue authore decurratur ad deos Penates iſtos, ſiue tutelares, quaſi aulicos ac familiares Dei optimi maximi, equidem neſcio. Id illis probandum reliquerem, qui noua diſputandi, ac philoſophandi ratione Theologiam corruperunt. Mihi ſatis eſt Deum per Ieſum Chriſtum, prout iubemur, invocare, & hanc vitam tutiorem: ideòque in rebus ad æternam ſalutem ſpectantibus potiorem inſiſtere.

Sed reliquiarum & imaginum adorationem pro intolerabili idololatria habeo atque abominor. Iconomachus ſane non ſum. Non arguo, ſiquis aut fingere ſtatuas, aut imagines pingere, ſiue ad publicum ſplendorem, ſiue ad priuatorum hominum domeſticos vſus volet. Sed quod illas adorari, quod illis ſupplicari, quòd aliquam ſanctitatis opinionem affingi illis oporteat, id quidem antiquis inauditum: Scripturis verò in contrarium apertiſsimè atque ex diametro pugnantibus ita eſt oppoſitum, vt mirari non deſinam quod hominum ingenium, quæ ſathanæ fraus, hoc tam audax commentum Eccleſiæ Chriſtianæ obtrudere attentarit. Quæ tamen omnia excuſantur argutis, hoc genus effugijs, & ſophiſticis diſtinctiunculis: idolum ſcilicet, nihil eſſe: ſe autem rerum quæ ſunt, & veri Dei imagines venerari. At Scriptura omnis rei à Deo conditæ ſimilitudinem coli vetat. Non igitur nihil fuit, cui Deus cultum deferri interdixit. Sed nec Serpens æneus, nec corpus Moſis, nihil erant: ille tamen contritus eſt, hoc abſconditum, ne idololatriæ materiam cauſamque præberent. Quin & Dei imaginem, non venerari tantùm, ſed & effingere prohibentur. Additaque ratio, Deum ſub nullius vnquam aſpectum cecidiſſe. Sanè quin deliniemus eius faciem, ſi Moyſi, quo nemo mortalium Deo familiarior, tantum eius poſteriora licuit contemplari. Cum igitur Deus ad vivum exprimi non poſsit, ſuperuacaneus eſt labour, conatuſque in-

inanis, id falſa adumbratione corrumpere, quod imitare non poſsis. Quod nemo, non dico Princeps, ſed vel quiſquam homo plebeius in ſua effigiè ferre ſuſtineat. Meditentur itaque qui ſic in religione ſentiunt, defenſionem aliquam, qua ſe in vltimo iudicio idololatriam exprobranti Chriſto, probent: qui an tum temporis iſtiuſmodi excuſationes ex illis argutiarum ineptijs petitas, in ſolutum acceptururus ambigo. Sed huius criminis Pontificem & Pontificios Apoſtolus Paulus reos peraget. *Rom.* 1. 22. 23. Vani facti ſunt inquit in ratiocinationib⁹ ſuis, & obtenebratũ ſit deſipiens cor eorum, & cum ſe ſapientes dictitarent, ſtulti facti ſint. Quamobrem? quia mutarunt gloriam incorruptibilis Dei in efformatam imaginem corruptibilis hominis, &c. Quamvis etiam tradidit eos Deus in cupiditatibus cordium ipſorum ad impuritatem, vt fœdarent corpora ſua inter ſe: vt qui Dei veritatem commutarint in mendacium, & coluerint ac ſeruiuerint rebus creatis, præterito creatore, qui eſt benedictus in ſæcula. Amen. Et non contremiſcit Apoſtata, cum audit hæc Apoſtoli non tam verba, quàm tonitrua, illius idololatricam percellentia Synagogam? Quæ, cum Deum non modo per libros illos duos naturæ & creaturæ, vt Gentiles, ſed per alios libros duos, Scripturæ videlicet & gratiæ cognouiſſet, tamen hanc ſanctiorem clarioremque Euangelij veritatem in injuſtitia, tanquam in carcere captivam detinens, primò Deum ita cognitum non glorificauerit vt Deum, id eſt, non rectè agnoverit, id eſt, conuenienter de Dei natura, attributis, operibus, beneficijs ſenſerit, eumque cultu, quem ipſe ſuo verbo præſcripſerit, ſit proſequuta: ſic enim δοξάζειν, non eſt opinari, ſed glorificare Deum; deinde quod Deum cognitum non rectè celebrarit, Id eſt, opera & beneficia Dei Creatoris ac Redemptoris grato acceperit animo, & ſermone ac vita prædicaret. εὐχαριστία. In hijs enim duobus verus Dei cultus vertitur.

Glorificandus eſt Deus vt finis vltimus, in quem omnia: celebrandus, vt principium primum à quo omnia. Cui vt primo bono omnia referantur accepta per Ieſum Chri-

 ſtum,

ſtum, & à quo ſolo cuncta petantur atque expectentur in fide Ieſu Chriſti. Sed Pontifex cum Synagoga ſua tantũ abeſt, vt gloriam ſuam Deo dederit, vt ſummam ei contumeliam irrogarit. Nam falſos ei cultus attribuit, id eſt, alienos & à Deo minimè præſcriptos, cum Socrates ipſe vnumquemque Deum ſic coli diceret oportere, quomodo ipſe ſe colendum eſſe præceperit, vt obſeruat Auguſtinus. Non enim Pontifex Scripturam Dei, hanc enim ſpernit atque contemnit, non veritatem Euangelij, non conſcientiæ notitiam, ſæpiùs illi ſuam idolomoniam exprobrantis, quam tanquam in ergaſtulo injuſtiſsimè detinet, ſed vanos ingenij ſui Dialogiſmos, ſpecioſas ratiocinationes, argutas concluſiunculas conſulens & retinens, dum ſapiens ſibi videtur eſſe, planè ſtulteſcit. Mutavit enim gloriam Dei incorrutibilis, in efformatam imaginem corruptibilis hominis, ſed quomodo, inquies, ſi Deus incorruptibilis, mutare potuit? Mutavit non quoad Deum, ſed quoad ſe: non rei veritate, ſed ſua fictione, non fecit in Deo mutationem, quod homo non poteſt. Sed in ſuo cerebro & factis aberrationem. Ideo dicit Apoſtolus, mutarunt, non Deum, ſed gloriam Dei. Eſt autem gloria Dei duplex, abſoluta & relata. Abſoluta qua in ſe Deus eſt quod eſt. Hæc mutari non poteſt. Relata ad nos mutatur non Dei imminutione, ſed hominum errore & ſcelere. Idque dupliciter dum rebus quæ non ſunt Deus, divinitatem & cultum affingunt. Sic mutarunt gloriam Dei craſsiſsimi idololatræ: elegantiores autem & politiores idololatræ. Vt videre volunt, mutant gloriam incorruptibilis Dei cum Deum ſimulachris hominum præcipuè, vel quadrupedum repræſentant & colunt. Hæc poſterior idololatriæ ſpecies olim vexavit Eccleſiam, vt & hodiè vexat. Iſraelitæ in deſerto (vt oſtendi) Ægyptiorum ritu Deum figurabant, colebant in vitulo: Iſraelitæ in vaccis aureis in Dan & Bethel. Hoc erat mutare gloriam Dei incorruptibilis in imaginem quadrupedis, comedentis herbam vt falsè Propheta dixit: qui tamen non vitulum, ſed Deum (vt oſtendi) adorabant in vitulo. Et non Romanus iſte vitulus

Aug. de conſen. Euangel. l. 1. c. 18

au-

aureus, non modo patris gloriam mutat in imaginem ve-tuli ſenis: & gloriam Spiritum ſanctum in ſpeciem Co-lumbæ, ſed ſeipſum adorandum proponit, vt Deum, quemadmodum à ſuis paraſitis vocatur? Nonne veritatem Dei convertit in mendacium, id eſt, imaginem, ſimula-chrum, idolum, quibus Deus mendaciter repræſentatur, & mendax cultus Deo tribuitur? Quam ob rem Deus eum in reprobam mentem tradidit, vt ſeſe ſpurcè, fœde-que pollueret, quod Pontificibus Sanctus Bernardus obie-cit: & in reformatam Eccleſiam ſæuiſsimè fureret: ſic ad impietatem in Deum, in Sanctos adiunxit injuriam. Quemadmodum Pontifex & Pontificij, priſtinam fidem & cultum Romanæ Eccleſiæ primitiuæ penitùs corruperint, ſatis conſtat: quid mirum igitur, ſi mores priſtinos depra-varint? Erat in veteribus Romanis fidelibus ſingularis Sanctimonia, Charitas, Humilitas, Temperantia, Man-ſuetudo. Virtutes Apoſtoli ore laudatæ. quarum nulla ſa-nè remanent in modernis hiſce Romanis, vel perexigua certè veſtigia, qui fœditatem be lluinam, odium erga Dei ſeruos Vatinianum, faſtum Tarquinianum, luxum Perſi-cum, crudelitatem Phalericam exercent, niſi quòd vitijs ſuis inſignem hypocryſin præſtruant, & Zelum gloriæ Dei callidiſsimè prætexant: id quod ipſorum hiſtorici teſtan-tur. Nihil vt habeant cauſæ, cur me mendacij arguant, quod ipſi nunquam benè agendo refutabunt. Sed nunc tempus eſt, vt collegam meum Doctorem Ipreduxem au-diamus, de cauſis noſtræ ſeparationis à Papatu breuitèr diſ-ſer entem. Si prius noſtras opini ones irreconciliabiles eſſe ſuccinctè ac dilucidè demonſtrarit. Sed hanc diſſertatio-nem in alium librum conferemus.

NVnc à vobis (ô Reges & Principes Chriſtiani) ſi me-as preces, ſi meos gemitus & lachrimas reieceritis, quòd nunquam vos pro regia veſtra bonitate, & Chriſtia-na miſericordia facturos eſſe confidam, ad Ieſum Chri-ſtum, Dominum veſtrum & noſtrum, cui non ita

multò

multò poſt rationem facti, dicti, cogitati quiſque ſui, redditurus eſt, me conuertam, eique humillimè & demiſsiſsimè ſupplicabo. Auxilium enim ibi diuinum incipit, vbi humanum deſinit.

Miſererê, miſererê terræ tuæ, clementiſsime Deus, quam Eccleſiæ tuæ Sanctuarium iamdiu & propugnaculum eſſe voluiſti. Miſererê Eccleſiolæ tuæ, quæ à tot & tantis hoſtibus circumſepta in parvum orbis angulum cõpingitur. Nolito pati, vt hæreditas tua à prophanis hominibus conculcetur; & quamvis ſancti tui te grauiter offenderint, paterna potiùs manu tua, quàm Turcica vel Papali mann caſtiga & corrige: excita bonos & pios Principes, qui cauſam tuam agant, confirma eos, quos excitaſti, vt ſicut ſemper antehac Eccleſiæ tuæ defenſores extiterunt: ſic eam conſtanter ad mortem vſque defendant. In eoque tam pio, tam honorato, tam neceſſario munere ſacram eorum Maieſtàtem cum ab aperta violentia, tum à clandeſtinis inſidijs defende & protege: vt & hic in terris nobiſcum vivant diutiſsimè, & poſt decurſum huius vitæ ſpacium in Cœlo, beatarum animarum ſede, viuant cum Deo ſemper.

Hìc filij mei docti & pij, vehementi zelo divinæ gloriæ, & communis ſalutis incenſi, ad extremum preces ſuas cum meis precibus coniunxerunt, & illas quidem ardentiſsimas, quas quaſi iacula quædam verſibus velut amentis contorta, Prophetarum more lugubritèr mecum emiſerunt, atque adeò, identidem emittunt, nec priùs certe deſinent, quam Deum ſuum ſibi in cauſa tam iuſta, tàm humiliteèr & feruentèr, & ſyncere ſupplicantibus gratioſe reſpõdentem ſenſerint; quod illum certè iuxtà verbum ſuum breui facturum eſſe confidunt.

Ev-

EVROPÆ VLTIMA.

Precatio ad Deum, vt omnes Chriſtianos à Turca, Reformatos à Papa defendat: vbi Turcæ & Papæ deſcriptio ex diſſimilibus illuſtratur, ſuiſque juxta verbum victoriam concedat.

O Deus omnipotens ante & poſt ſæcula regnum
Vt ſine principio, ſic ſine fine tenens:
O Pater, ô Fili patris effulgentia, ſancte ô
Spiritus vne-mihi-Trine colende Deus:
Qui cuncta ex nihilo verbi virtute Creaſti
Cuncta creata Regis, Cuncta creata foues:
Quæq; foues fixo diſſolues omnia puncto,
In Nihilum vt redeat, quod fuit ante Nihil:
Interea ſanctum Nati tibi ſanguine partum
Pollicitus ſemen ſemper in orbe fore:
Quod te, te ſolum timeat, te ſemper adoret,
Atq; in te ſolo ſpemq; fidemq; locet:
Mordeat vt ſoboli ſerpens Calcanea ſanctæ,
Serpenti ſoboles conterat illa Caput:
Promiſſi memor eſto Deus, miſerere tuorum,
Quos aſtu Sathanas, quoſq; furore premit.
E terra ſanctam ſatagens excindere gentem,
Quæ viuum & verum te colit vna Deum.
Illinc Turca furit, furit iſthinc Papa, laborat
Tollere Chriſti colas dæmon vterq; tuos.
Alter ab Euphratis, Tyburis venit alter ab vndis,
Ille niger Dæmon, candidus iſte tuis.
Imminet Europæ is, verſutior immanet iſte,
Nomen vt ille tuum deleat, iſte fidem.
Quòd panem non credo Deum, me Papa trucidat,
Papam Turca, ſuum quòd vorat ille Deum.

Quod minime ſimulachra colam me Papa cremauit
Papam Turca premit, quod ſimulachra colat,
Papam Turca vices noſtras vlciſcitur, orbem
Sic dæmon furijs vexat vterq; ſuis.
Ille velut latro noſtrum graſſatur in orbem,
Iſte tuas perdit Pan ſimulatus oues.
Chriſticolas falſos & ſtultos ille peremit,
Veros & ſanos ſæuius iſte necat.
Chriſtiadum Europæ pingueſcunt ſanguine campi,
Flumina Chriſtiadum ſanguine rubra fluunt.
Externus Terca eſt, ſed Papa domeſticus hoſtis
Quo rabies huius ſacra cauenda magis.
Ille Leoninis inuadit viribus orbem,
Vulpinis etiam fraudibus iſte tuum.
Scis, Deus, & potes. O tam formidabilis hoſtis
Solue dolos oculo, robora, frange manu.
Ad te confugimus, primo te poſcimus omnes
Et veniam & pacem, deinde precamur opem.
Non opus eſt noſtram verbis exponere cauſam,
Res loquitur, noſtro terra cruore madet.
Turca furit ſine mente velut Nero, Papa ſed alter
Sicut Tiberius cum ratione furit.
Ebrius ille fuit, ſed ſobrius iſte Tyrannus.
Is madidus iuuenis, ſiccus at iſte ſenex.
Dum ferus Oſmundus Polonos territat, iſte
Occidit ſanctos per ſua flagra tuos.
Vt Papam Sathanas, Ieſuitam Papa, potentes
Inſtigat furijs ſic Ieſuita ſuis.
Hinc Valtolinæ ſepta omnia diruit amens
Bellua, & in Gallos concitat arma tuos.
Inde Palatinis infert incendia Caulis,
Diſperditq; tuos, viſcera noſtra, greges.

Et nunc Heſſiacas ſegetes pulchro ordine ſtructas,
Syluestis miſerè depopulatur aper.
Prætextu vario pellens per tela, per ignes
Ex Europæ. Funditus orbe fidem.
Hæreſin appellat ferro flammaq; luendam,
Vt Lateranenſes conſtituere patres.
Teſtamur cœlum, noſtra eſt hæc hæreſis, omnem
Ponimus in ſolo ſpemq; metumq; Deo.
Non nos Luthero, ſed Christo credimus, orbi
Vir bonus antiquam, rettulit ille fidem.
Sancte pater, fruſtráue tibi ſeruiuimus vni?
Fruſtrà ſectati nos tua ſigna ſumus?
Paruimus voci nos è Babylone vocanti,
Obſequium hoc nobis exitiumnè feret?
Paſtoriſq; ſui voces audiuit ouile.
Ergonè præda feris fiet ouile lupis?
Hic pietatis honos? pro tam conſtantibus auſis
Pro te ſuſceptis fortiter, hocnè refers?
O ſancti miſerere gregis, miſerere malorum,
Quæ iam facta tulit, quæq; futura timet.
Vtq; ſoles, extolle humiles, & tolle ſuperbos,
Aſpicis in Chriſtum quos coÿſſe tuum.
Aſpicis & pateris? Babylon meliornè Sione?
An capit dæmon fortior eſſe Deo?
Neutrum. Sed dominus reprobos damnare paratus,
Ipſe ſuam vt ſeruet, iudicat ante domum.
At domus illa nihil furioſis fecerat iſtis,
Horum ne rabido victa furore cadat.
Grex tuus vt tibi ſe ſoli peccaſſe fatetur.
Det pœnas ſoli grex tuus ergo tibi.
At ſceleratorum virgas in ſorte piorum,
Vnde ſcelus regnet, ne reſidere ſinas.

Iuſte parens, hoſtes hoſtilis dextera perdat,
Caſtiget natos ſola paterna manus.
Oppreſſos releua ſanctos, miſerere malorum
Tantorum, Sathanam, ne furat, vſq; liga.
Ante quidem Sathanas homines poſſederat, atqui
Nunc Sathanas Sathanam poßidet ipſe magis.
Ante tui partes regni labefecerat hoſtis,
Nunc totum Regnum ſubruit ille tuam;
Atq; tuam ſedem mentitur hypocrita, & ô fur
Incipit in Domini Nomine quodq; malum.
Vim fraudi miſcet, jungit cum vulpe Leonem,
Vt ſumat leges à Babylone Sion.
Sancta Sion tantas, pater optime maxime pœnas,
Si meruit, Babylon impia quid meruit?
O nolito tui populi peccata videre,
Sed ſeruis fidis illa remitte tuis.
Et, quæ te ficte colit, obliuiſcere turba,
Hos, qui ſyncere te timuere, vide.
Prætereas hominum ſcelerate facta, ſed illos
Reſpice, iudicijs qui tremuere tuis.
Ne ſanctos confunde malis. Pariterne nocentes
Innocuoſq; Deus, num patiere premi?
Sed potius propter ſanctos, vt idonea cunctis
Des reſipiſcendi tempora, parce malis.
O ſancti miſerere gregis, miſerere malorum,
Quæ iam facta tulit, quæq; futura timet.
Iam graue prædixit bellum ſub fine futurum
Spiritus, vt noſtram ſpemq; fidemq; probes.
Cuius motores belli Draco beſtia terræ
Filia, deceptor pſeudo-propheta patent.
Ex quorum Ranæ turpes tres ore coaxant,
Vt cieant Reges ad fera bella ſuos.

Vt Lutherus futurum prædixit.

Reuel. 16. Vt Iuellus, Foxius, Fulco, Iunius, Whitakerus, R Abbatus, Downhamus, Sereniſſimus Magnæ Britanniæ rex. Alijque interpretantur.

Ad

Ad viuum referunt Sathanam draco, beſtia Papam
Roma falſi loquos pſeudo-propheta patres.
Immundos fœda Ieſuitas ritè cicada,
Continuas belli quos liquet eſſe faces.
Vtq; tuus bellum prædixit ſpiritus eius
Euentum ſanctis præcinit ille bonum.
Iam tuus expectat promiſſa in valle Megiddo
Iſrael, vt duce te bella ſecunda gerat.
Siſera nunc alter cadat, & Iabin cadat alter,
Sit Iael, auſpicijs altera clara tuis.
Signa iterum, Barach referat victricia, laudes
Atq; iterum cantet Debora ſancta tuas.
Quid primogenito Sathanæ promiſeris vrbis
Septijugæ Domino, quid Sathanæq; patri:
Quid furijs belli ranis, tortoribus iſtis
Horum diſcipulis, oro, memento Deus.
Debes promiſſam Sathanæ, rex Magne, Cathenam,
Ne furat in ſanctos ampliùs ille tuos.
Beſtia debetur promiſſa volucribus eſca,
Sectanteſq; eius caſtra cruenta Duces.
Expectat ranas ſtygius lacus, ipſa Gehenna
Fraudetur ſcorto ne Babylone vide.
Sed ſanctæ promiſſa ſalus æterna Sioni,
Et ſanctis ducibus per tua bella decus.
Qui verbis armiſq; tuam defendere cauſam,
Sicq; tibi cupiunt viuere, ſicq; mori.
Magne Deus, non nos noſtris confidimus armis,
In ſolo auxilio ſpes ſita noſtra tuo.
Tu Deus es verax, ergò vis omnia verba
Præſtare. Omnipotens & Deus, ergo potes.
O ſancti miſerere gregis, miſerere malorum,
Quæ iam facta tulit, quæq; futura timet.

Sic docti fere omnes locum illum Harmagiddon in quem congregabuntur hoſtes Dei vt pereant, cum illo loco S. Iudicum comparantes interpretantur, vt Rex Magnæ Britanniæ. Reuel. 20.

Reuel. 19.

Daniel vndecimo.

Teleuci ſeptem, Lagi tres cornua perdunt,
Iudæos ſeruos quæ pupugere tuos.
Quæ fata hij Syriæ reges Aſiæq; minoris
Suſtinuere, meis hoſtibus illa canis.

Compara Ezechielis 38. cap. in extrem. cum Ioh. 20. Vt locum docti exponunt de Papa occulto hoſte, & Papa aperto, præcipue Sereniſſimus Rex. Sic minatur Deus, 20. Ioh. Ezechiel. & Iohan.

Occultus Gog Papa, Magog Turca hoſtis apertus,
Ambo projecto cælitus igne cadant.
Aut Deus è ſanctis educas montibus enſes,
Vt pia nobilites militis arma tui:
Aut hoſtes inter ſeſe committe prophanos,
Vt condant enſes in ſua corda ſuos:
Aut talentari diſiectos grandine fuſos
Contere, conſumptos fulmine, peſte, fame:
Sicq; Gygantæos peſſundabis ignibus hoſtes,
Vt vates olim concecinere tui.
Non arctata tibi manus eſt vireſuè minutæ
Nec tua cura gregis, quam fuit ante, minor.
Quam facilè fracti reges vrbeſq; ſubactæ
Et regna, Abramidis quæ nocuere tuis?
In cineres ſubitò Sodoma & Gomorrha redactæ,
Angelica flagrant, vt meruere, manu.
Quas vt flamma ſuæ violenta libidinis vrit,
Iræ flamma tuæ ſic violenta vocat.
Spreta Ægyptiacas vaſtant animalcula terras,
Gens jacet in rubro cum Pharaone mari.
Iam Sodoma, Ægyptus jam ſpiritualis, vt æquum eſt
Nequitiæ pœnas ſæuitiæq; luant.
Demetit Aſſyrias cæleſtis dextra cohortes,
Aſſyrius nati concidit ipſe manu.
Poſt Nabuchadnezar mentem ſpeciemq; virilem
Perdidit, & ſapuit per ſua damna ferox.
Ac poſt Seleucidum clades lagidumq; ſequutæ,
Calcarunt tumido qui tua ſacra pede.

An

Antiochi putres manant è corpore vermes,
Quæ jecur illius vulturis inſtar, edunt.
Decumbensq́; ſua cauſam dedit ille ruinæ,
Quod tantum Solymæ fecerat ante mali.
Herodem erodit, morſuq́; exenterat agmen
Exiguum lento viſcera dura ſuo.
Quòd Chriſtum occidit ſequitur vaſtatio regni
Iudaici ſpretum propter Euangelium.
Quàm facilè gentes tua ferrea virga prophanas
Contudit, in Chriſtum qui fremuere tuis.
Quod paruum lapidem deciſum ex monte rejecit
Totum Romanum corruit imperium.
Tu, Nero, morte tua noſtros terrere Nerones,
Tuq́; tui ſimiles, Domitiane, potes.
Relligio nulla eſt in ſanguine fœtidus Acmat
Exeſus vitÿs iam moribundus ait.
Vt pater immundus ſenſit te, Chriſte, potentem
Sic ſæuus ſenſit filius eſſe Deum.
Et Madianitæ proprÿs velut enſibus olim,
Sic poſt Pontifices interiere ſuis.
Inter ſeq́; datis miſere periere venenis
Qui torſere ſuis viſcera ſancta rogis.
Ne ſe, Chriſte, tua jactet Mahumetus in vrbe,
Ne teneat templum beſtia ſæua tuum.
Gloria nunc agitur tua? quid? Num oblita tibi nunc
Contrà terrenam ſponſa trophæa feram.
Quid tandem inſultans Latialis beſtia dicet,
Qui furÿs implet corda prophana ſuis?
Scilicet iſta Dei ſoboles; vel nolle videtur
Vel non poſſe Deus ferre vocatus opem.
Sic, vt noſtra ſalus, agitur tua gloria, ſi non
Des Eccleſiolæ ſponſa trophæa tue.

Seu

Seu ſtem, ſiue cadam, ſperabo iugiter in te:
Namq; vt tu Meus es, ſic tua ſemper ego.
O ſancti miſerere gregis, miſerere malorum
Quæ iam facta tulit, quæq; futura timet.

Finis, Deo gloria.
